№ 2477.

HW 150

257

K.K. UNIVERSITÄTS-STERNWARTE WIEN

Bibl. № 2477.

GEORGII TRAPEZVNTII IN Claudij Ptolemæi centum Aphorismos Commentarius.

Eiusdem, de Antiscijs. in quorum rationem fata sua reijcit.

Item ab eodem, Cur Astrologorum iudicia plerumque fallant.

Nunc primùm omnia in lucem ẽdita.

Additus est dialogus Ioannis Pontani, in quo doctißimè disputatur, quatenus credendum sit Astrologiæ.

Theodorus Adamius.

Cum priuilegio & gratia quinque annorum.

Coloniæ Ioan. Gymnicus excudebat, Anno M D XLIIII.

teritum prona, omnia reponunt. Quid obsecro ig-

K.K. UNIVERSITÄTS-STERNWARTE WIEN

MAGNA FI
DE ET ERVDITIONE

uiro, Philippo Bucchamero, ampliſſimi maximeq; reuerendi Cardinalis Dn. Alberti, Archiepiſcopi Moguntini, &c. primario Medico, Iacobus Curio Hofemianus.

S. D.

QVVM à ſtudioſis paſſim hos Trapezuntij in ſententias Ptolemæi labores flagitari animad uertiſſem: etſi profectò eos nec dum ſatis emaculatos, quòd nõ niſi exemplar unicum, atq; id quidem ipſum mendoſiſſimum fuerit, eſſe uerear: ratio uiſa tamen eſt, cur proferrem, adeoq; tuo etiam ipſos nomini inſcriberem, neutiquam contemnenda. Quippe qui uideam quantopere occuperis in reſtituendis id genus ſtudijs, quæ ut Medicum uerè doctum, laudeq; cumulatum abſoluant: ita temporum iniquitate ab ipſo propemodum uſu ceciderũt. Perſpicis ſanè uir ingenio utpote præditus ſolertiſſimo, quantũ medicina de ueteri ſua dignitate per eos amiſerit, qui in natura hac ſublunari, & ad interitum prona, omnia reponunt. Quid obſecro ig-

norantius est, ratione´que utenti magis indignum, q̃ incumbere huic inferiori solùm, de superiori uerò illa nullo prorsus modo cogitare? An obscurum est, quæ sananda medici suscipiunt corpora ab hærentibus cœlo stellis, per aërem hunc sensim quidem, & assiduè disponi, regi, & adfici? Aut censeat potiùs aliquis frustrà sempiternos & fulgentissimos illos ignes, ordine tam mirabili, tamq; indefessis meatibus ferri, nihilq; in illa ipsorũ orbiculatione esse potestatis, quàm in elemẽta, & in quatuor istos, è quibus constamus humores, exercere possint? Non arbitror quenquam habentem boni saltem Medici existimationem, tam impudentẽ fore, qui seriò id esse contendat. Videntur ob id hi omnes mihi, qui nulla in medendo cognitione Astrologiæ sunt instructi, non multùm agricultoribus quibusdam absimiles, dum aruo stercorando tantùm intenti, nec seminis animaduertunt naturam, nec cœli ac regionis, quorũ primæ ferè partes sunt habendæ. At difficilè est, inquiunt, tam multis distractũ negocijs, ad astra etiã respicere. Ego uerò difficillimum omnino id puto, si quis ante, quàm discere incipiat, planè expeditũ se esse postulet. Quasi non hîc, sicut in alijs artibus usu ueniat, ut principia dura ac acerba sint, quæ exercitatione tamen dulcescant atq; capiantur. Quosdam nõ piget in disciplinis, dummodo ad maiora

iora promoueant, longè etiam operosioribus præludere. Et reputati hactenus ferè sunt hebetiores minusq; ad medicandi artem adpositi, quorum iudicium non acuerint tritæ illæ de Vniuerso & ideis, de prima materia, rerũ principijs, de motu & uacuo: deq; cæteris huiusmodi, non ita multùm ad rem facientibus altercationes. Quæ, malùm, dementia igitur fuerit, detrectare laborẽ in discẽda solùm Astrologia, quæ non tam mea, quàm grauissimorum quorundam authorũ sententia, tantum momenti ad medicinam, siue theoricen amplexetur quis, siue operatricem potiùs & empiricen, confert, ut quædã huius pars non immeritò uideri possit? Sumat quisquis parùm cõperta me hæc dicere suspicetur, hos in manum aphorismos, circũferatq; & oculos & animũ: comperiet nõ multas solùm disputationes, quas medici cum astrologis communes habent: uerùm de naturis rerum quàm plurimos etiã explicatos ac dissectos nodos. Quod ipsum quum apud potioris iudicij homines euidens sit, & aliàs sensuum etiã testimonio, quo nihil est exploratius, constet, quantum hæc disciplina in omni uita cõmoditatis pariat: non moremur magnificos quosdam iam contemptores, ut confossa labefactaq; imperitis saltem Astrologia uideatur, Rhetoricas omnes suas contra eam copias eduxerunt. Cogitabimus facilius esse carpere, quàm

imitari, ijs præsertim, quibus in promptu est quidlibet eleuare uel extollere. Etenim si tam futilis &, ut loquuntur, incertißima essет, neque ullis naturæ fundamentis stabilita: non illam utiq; tanto studio tradidißet Ptolemæus, uir tam probatus, ut dum opus est arcessendis testibus, unus instar multorum semper esse habeatur. Conficta, fateor, & adsuta à Punicis in hoc genere pleraq; deprehenduntur: sed quæ non minùs execramur nos, quàm qui ex professo uideri uolunt hostes. Visum proinde fuit, ne quis existimet portenta illiusmodi nos omnia probare, quendam Iouiani appendere huc dialogum: in quo apertè quiuis cernet, quomodo & quatenus Astrologiæ fides sit præstanda. Disceptatio breuis est, sed erudita, & cum primis elegans: in qua perinde atq; in agro bene culto, ubi nullæ sunt sentes, enitent omnia. Trapezuntius illaboratior est, ac minùs proprius, qui alibi tamen orationis & ingenij sui neruos abundè ostendit: hîc satis habuit quoquo modo selectißimos illos centũ Aphorismos è Græco primùm uerteret, & enarraret. Deinde Antisciorum rationem à nemine antè hac consimili diligentia illustratam, separatim & copiosè tractaret: simulq; per occasionẽ aperiret, quid isthuc sit, in quo tam sæpè prophetantes Astrologos titubare contingat. Quæ à tenebris in memoriam, hoc est, ad

uitam

uitam quasi quandam iam denuo reuocata, nuncupatim dicare Philippe tibi libuit: cùm quòd, nisi immodicus quidam artis huius amor falsò mihi imponat, arbitratus ea sum tuæ bibliothecæ, quam optimis quibusque libris habes instructissimam, neutiquam fore indigna: tum maximè uerò, ne in publicũ absque patrocinio & tutela, isto potissimùm sæculo, prodiret. Tu libens, quod etiam atque etiam rogo, excipe: & me quouis loco, modo, inter tuos numera. Vale.

GEORGII TRAPEZVNTII COMmentaria, in centum Aphorismos Claudij Ptolemæi.



Ibrum Claudij Ptolemæi mihi, Alfonse rex inclyte, traductum, quẽ uulgò Centiloquium, ipse Fructum appellat: tam ipsum, quàm commentariolos, quos exponẽdo eum cõscripsi, Maiestati tuæ dedicatos offero. Liber enim hic regia celsitudine dignissimus est. multas nãque reconditas res, uitæ non inutiles, regibus uerò etiam ferè necessarias, mira continet breuitate. Totum enim Astrologiæ in iudicando negocium centũ Aphorismis, quantum

tum fieri potuit, complexus est. Tantò regibus, quàm priuatis commodior est, quantò maiora, præclariora q; reges quàm priuati adgrediuntur facinora. Tibi autem potissimùm, nominiq; tuo dedicamus: qa soli regi omnium (pace aliorum dixerim) tibi plurimùm philosophia debet. Solus enim ipse & audiendo, & legendo, & intelligendo, multò magis decoras, quàm cæteri omnes principes simul, &c. Accipias ergò quã benignissimo animo, ut soles, atq; liberalissimo, librum & naturali philosophia & mathesi refertum. in quo paucis multa & ardua exponuntur. in quo efficientia & uirtus cœlestium corporum, qua hæc inferiora duce natura, mouentur atque agunt, præ oculis ponitur: qui aliorum Ptolemæi in negocio simili li-

brorum, sic fructus multò magis re, quàm nomine esse cognoscitur: & non minorem hinc author, quàm ex cæteris & multis & magnis uoluminibus consecutus esse uideatur. Non em̃ magnitudine nec multitudine librorum, sed uiribus atq; acumine, & copia, præstantiaq; rer̃, summa cum breuitate dictorum, ingens atq; perpetua comparatur gloria. Legant igitur omnes in nomine Alphonsi Arragonum, & utriusque Siciliæ regis inclyti, primò centum Aphorismos Ptolemęi traductos: deinde expositiones & commentaria, quibus secreta in ipsis abditaq;, atq; retrusa diligenter in lucem protrahuntur. Tertiò, ratione Antisciorum breuiter explicatam, atq; dilucidè. Vltimò, cur longiùs nunc quàm aliàs à ueritate Astrolo

gorũ

gorum aberrãt iudicia: & quod nec Ptolemæus sentit, nec apparentia nonum ponere orbem, cogere uidentur.

Iampridem perutiles ad præuidẽdum operationes stellarum, ò Syre, quas in hoc composito efficiunt mundo, exposuimus, quod fructus librorum est ipsa experiẽtia approbatum ueritati adhærere. Sed oportet, utqui lecturi sunt, omnes uias & rationes huius scientiæ antea perceperint, quàm ad lectionem huius deueniant.

Libellus hic, quem de Græco traductum, nomini tuo dedicauimus, illustrissime rex, quemq; exponere constituimus, sic inscribitur:

LIBER CLAVDII PTOLEMAEI, QVI VOCATVR FRVCTVS.

Vt de nomine tanti uiri nonnihil dicamus, à regũ genere traxisse originem uidetur. Ptolemæi quippe omnes ab illo Ptolemæo, tam originem, quàm nomen traxerũt. qui Alexandro Magno in parte successit. Alexãdriam enim, Aegyptũ uniuersam, & ille, & sui ab illo cognominati obtinuerũt continuè usq; ad Cleopatram ultimã. Nam post Cleopatrã ab Octauiano Cęsare in prouinciã Aegyptus redacta fuit. Quare postea quicunq; origine Ptolemæi fuerunt, mutata fortuna, priuati uixerunt.

CLAVDIVS autem mihi nominari uidetur, quòd aliquis Romanorum prouincialis ipsum eo nomine donauerit. Nomen certè hoc Romanum est: ac ideò aliter putare, omnino stultum dixerim.

Hic

Hic floruit Hadriani Anthonini temporibus. Nam in magna compositione obseruatiões ipse notat, quas Imperatorum horum temporibus obseruauerat.

Fructum autem hunc librum appellauit, quia ex illis quadripartitis libris, huius libri documenta ita sequuntur, sicut ex ramis, foliis, floribus, fructus sequuntur. Hinc dicit, non legendum hunc librũ, nisi his, qui cætera huius scientiæ præcepta omnia optimè teneãt. Adde quòd sicut fructuum, sic huius quoq; libri quantitas parua est, utilitas uerò magna: quoniã centũ hi Aphorismi sententiarum pleni sunt. Superiorum autẽ corpora calida, humida, frigida, siccaq; appellamus. non quòd in se ita sint: sed quòd hæc in his inferioribus efficiant. Vnde ne-

cessa-

ceſſariò ſequitur inde, complexiones omnes omnium compoſitorũ corporum eſſe. Hominum quoque ipſorum uirtutes, etiam omnes animi humani, quæ organicæ ſunt, ab illis neceſſariò moueri. intellectum tamen, quoniam organicus nõ eſt, non ſubĳci illis, niſi quantum per phantaſiam cogitur. Nam quoniã phantaſia organica eſt, quod complexiones oſtendunt, quarum diuerſitate phantaſmata quoq; accidunt diuerſa: quoniã nõ ſine phantaſmatibus intelligere poſſumus, patet. quamuis non per ſe, tamen per phantaſiam. ipſum quoq; intellectum ſtellis eſſe ſubiectum. Hinc fit, ut qui ratione magis, hi minùs ſtellis ſubĳciuntur: qui ſenſibus inhærent, hi à ſtellis toti ferant. Quare melior commoditas præuidendi

nunc

nunc mihi per astrologiã uidetur, q̃ unquam fuerit. Omnes enim sensum sequimur, non minùs ferè q̃ beluæ. Contrà tamen non alia re, q̃ scientiæ accidet ignorantia: quę tanta est, ut maior esse non possit. Sed opitulandum potiùs, quàm deplorandum uideo: quare ipsos Ptolemęi aphorismos adgrediamur.

APHORISMVS I.

Abs te & à ſcientia, non eſt enim poſſibile, ut huius ſcientiæ profeſſor particulares rerum ideas præuideat. Sicut nec ſenſus particularem rei ſenſibilis ideam, ſed generalem recipit. Quare, oportet ſtudioſum coniectura res adſequi. Soli enim, qui furore incitantur, particularia prædicunt.

Abs te, inquit, hoc eſt, à quadam inſita ui animi & ingenio, & à ſciẽtia, naturæ ſtellarum præcognitio fit, horum utrunq; ipſe rationis oſtendit loco. Non enim deberet ignorare profeſſor huius ſcientiæ, non eſſe in iudicando ad particularia deueniẽdum. non enim poteſt ipſe à ſcientia id conſequi: ſicut nec ſenſus particularem ſui obiecti formam, ſed generalem recipit. Nam cùm albo uiſus colore mouetur: hoc quidem ſenſibile ac album mouet ipſum: ſed nõ ut hoc,

ſed

sed ut album. Confusiora ergò atq; communiora per scientiam præuidebit Astrologus. eaq; particularioribus per coniecturã, hoc est, ingenio prudentiaq; sua conijciẽdo accommodabit. Nam quamuis etiam particularia & ipsa cœlestium corporum natura sunt: nos tamen eorum scientiam habere non possumus: sed coniectura ingenioque colligimus. Nam particularia (inquit) non coniectura colligere, sed diuinatione prędicere soli possunt, qui furore ac numine aliquo incitantur. Particularia igitur à scientia non sunt: quoniam etsi particulariter singulis corporum uires à cœlestibus exprimũtur, eas tamen capere nõ possumus, nisi confusius atq; communius: cuius causam per similitudinem sensus ipse subijcit. Est etiam alia, quam prætermisit. nam nec uires fixarum omnium scimus, nec loca, nec omnes de quibus notitiam habemus, considerare propter imbecillitatem humanã possumus. Etiam de locis Planetarum nonnunquam ambigimus. Vnde fit, ut nullo modo possumus particulariter præuidere: sed confusius quidem per scientiam iudicamus, particularius uerò per prudentiam conijcimus. Et ita

communiora sunt à scientia, particulariora à nobis. Non dicet ergò Astrologus, eo die tali ægritudine capietur: sed, circa talem ętatis annum Marcia, uerbi gratia, ægritudine laborabit.

II.

Quando qui deliberat, quæret ipsum melius, non erit inter ipsum & ideam ipsius ulla differentia rerum.

Quæstionum ac interrogationũ aperit fundamentum. Omnes enim uirtutes hominis, quæ organicæ instrumentalesq; sunt, ut sunt omnes pręter intellectũ: quamuis & ipsę per accidẽs instrumẽtalesq; sequatur uirtutes. Mouemur ergò quandoq; ad interrogãdum à corporibus superioribus: & hæ ueriores sunt quæstiones. Non ergò iudicandum est de quæstionibus, quas cupiditate nimia semper in animo uoluimus. Nam quum libera mens sit, poterit reiecta phantasia uoluntatẽ suam, quę & ipsa, quoniam intellectui iungitur, organica nõ est, solam sequi. Et sic necessariò non erit idea illa & forma per cœlestia corpora impressa. eritq; inter ipsam & cœlestia corpora magna

gna differentia rerum. Et tamen nihil poterit utiq; Astrologus de quęstione huiusmodi prædicere. Vnde ipse consulerem fugiendas esse quæstiones. Et ab initijs rerum solummodo iudicandum, si habentur: sin aũt non habentur, quiescẽdum. Hinc sequitur, quæstiones interrogationesq; hominum, q phantasmatib⁹ magis, quàm mente degũt, quia cœlo non ingenio in animis innascũtur stolidi, iudicio multò magis esse subiectas, quàm eorũ, qui acumine mẽtis maiore prædi ti sunt.

III.

Qui ad rem aliquã aptus est, habebit omnino stellam eius rei significatricem, in natiuitate sua potentem.

Nam qui ad fingẽdas fabulas, uel etiam ad eloquentiam sit aptus, ☿ habebit potentem. Qui ad rem Veneream, ipsam ♀, &c. Dicuntur autem potentes Planetæ, quoniã sunt in dignitatibus suis, puta in domibus exaltationi, &c. & quoniã in angulis sunt. Sed aspectus aliorum Planetarũ ualde rem mutat, ut si ☿ est in ♍, & in angulo potens est. Sed si ♂ eum adspicit, aut ei coniungit,

fabulosum hominem atq; nugacem efficit. Sin uerò ☉, solidam bonamq; ipsi dabit eloquentiam cum intelligẽtia rerum clara coniunctam. Adde utriusq; casus homines, si ☿ in ascendente fuerit, quamuis falsam statim ab adolescentia: sin uerò in quarta, quamuis ueram. Vix tamen in senectute famam eloquentiæ, sed multò magis post mortẽ consequetur.

IIII.

Animus, qui ad intelligentiam rerum aptus est: magis adsequitur ueritatem, quàm qui ad summum se in scientia exercuit.

Hic aphorismus omnibus facultatibus & scientijs accommodatur. In omnibus em̃ siquidem natura pollet, plura meliora'que perspicere potest, si paruo usu atq; consuetudine iuuatur, quàm si natura parũ ad rem cõmodus sit, & maxima consuetudo ususq; rerum ipsarum accesserit. Magis tamen id apparet, ubi maior demonstratio locum habet. nam ubi minus demonstratur, ibi magis consuetudine opus est. Et contrà, ubi

plus

plus demonſtratur, ibi maiorem uis ingenij locum habet. Sed ſi uſus quoq; magnus ad excellentiam mentis naturæ inſitæ acceſſerit: tunc uerè illud comicum diceretur, Hic autem homo eſt perpaucorum hominum.

V.

Poteſt huius ſcientiæ profeſſor multos effectus ſtellarum auertere, quando nec naturas illarum ignorat, & ſeipſum antè quàm effectus accidat, diligenter præparauit.

Vtilitatẽ in hoc aphoriſmo huius ſcientiæ oſtẽdit, & effectus ſtellarũ nõ neceſſariò. Niſi enim materia diſpoſita ſit, & quæ quæruntur adſint effectus ipſarum, nõ proueniunt. Nam ſi uitem in optima cœli diſpoſitione ad hoc plantaueris: ſi tamẽ ager à producendis & conſeruãdis uitibus alienus ſit, parùm tibi proderunt ſtellæ. Non enim neceſſariò, ſed natura quadam agunt per inferiorem continentem complexionem. quare qui naturas ipſarum non ignorat, ſed quod in his inferioribus efficiunt

tenet, multa poteſt effugere, ſi ſeipſum præ parauerit. ut ſi Martialis aliquo tempore immineat morbus, ſi oppoſitarum qualitatũ rebus paruum ante tempus, in quo morbus impendet, utatur, ipſum euitabit, aut certè minuet.

VI.

Tunc dierum atq; horarum electio confert, quando tempus natiuitatis conuenit. Nam ſi contrarium eſt, non conducet, etiam ſi ad bonũ euentum reſpiciat.

Si principium agendi rem eligis, ad quam diſpoſitio cœli, quę in natiuitate fuit, conducat: iuuabis, inquit, tempus electum. Sin autem tempus natiuitatis ad rem illam non conducat: non proderit electio. Non nocere tamen bonam electionem, credendum eſt. minùs tamen conducit. Iam autẽ ferè omnes rem, non perſonã conſiderant: nam ſi ad iter aut ad nuptias tempus eligũt, ſeptimã aut tertiã, cæteraq; huiuſmodi, quę ad rem pertinent, diligẽter inſpiciunt. Ptolemæus autem nec iſta contemnenda, multò

tò autem magis hominis natiuitatem conſpicere præcipit: ut ſi nuptiarum tempus eligis, nec locus, in quo in natiuitate ♀ fuit, nec ſeptima domus infortunetur. Danda ergò eſt opera, ut tẽpus natiuitatis electioni conueniat: ſic ut ſtellæ & loca rem ſignificantes in natiuitate fortunentur, &c.

VII.

Nemo poteſt complexiones ſtellarum percipere, niſi priùs differentias & complexiones naturales perceperit.

Non quòd calidæ aut frigidæ, cætæræque huiuſmodi ſtellæ ſint, ſed quia hæc in his inferioribus efficiunt. Niſi priùs ergò differẽtias & complexiones rerum naturales, & cauſas earum materiales quiſpiam maximè perceperit, non poterit ſtellarum complexiones intelligere. Nam niſi quis naturales elementorum elementatorumq; complexiones ac differẽtias, ut quid calidum, quid frigidum, & quid calidius, frigidius, priùs intellexerit: non poterit intelligere, quomodo hæc à ſuperiorum motibus immutan-

tur. Qua re ignorata, ipsa stellarũ complexio ignoratur. Nihil enim aliud stellarum complexionem dicimus, nisi qualitatem, quam elementis elementatisq; imprimunt. quæ impressio earum ac efficientia in dispositа inferiora hæc influit. Quare qui superiorum scientiam adquirere student, naturaliũ spreta cognitione, nihil proficiunt.

VIII.

Animus sapiens cœlesti potestati cooperatur: sicut optimus quoque agricola mundãdo arandoq; naturæ ipsius agri cooperatur.

Differt à quinto, ubi posse euitari stellarum effectus, si præcogniti fuerint, ostendit. Hîc dicitur etiam in melius uerti posse malos, & bonis incrementũ dari: sicut optimus agricola naturæ agrorum plurimùm confert. Nisi enim naturã agri noueris, parùm tibi labores conducunt: ut si frumentis aptum uitibus conseras. Sic nisi naturã pueri cœlo impressam sciueris, non efficies magnum uirum, si militiæ aptum, literis ac philosophiæ tradideris.

Formę

IX.

Formæ, quæ generantur & corrumpuntur, cœleſtibus formis ſubijciuntur, atq; ab eis mouentur. Hac de cauſa elementarij utuntur iſtis, ſtellarum ingreſſus in ipſas reſpiciẽtes.

Huiuſmodi ſunt omnes, quæ de potẽtia materiæ proueniunt: ſuper quas magnam uim ſtellæ habent. Elementa enim omnia, & formæ naturales ab illis dependent. Materia enim diſpoſita per motum cœleſtem, formæ in eis generantur à cœleſtibus formis, quę ſunt duodecim ſigna, & figurę extra zodiacum, concurrentibus etiam Planetis, ſicut & in alijs effectibus, ut ♀ & ☿ ad rem Veneriam operantur. ☿ & ♍ ad eloquentiam, quibus ♂ turpitudinem addit. & inde adulteria, hinc loquaces ſcurraſq; facit. ♄ contrà utriq; decus ſolet adferre. ac inde honeſtas nuptias.

X.

In electionibus dierum atq; horarum infortunantibus etiam ſtellis uta

ris, ſicut optimus quoq; medicus uenenis ad ſanandum conuenienti ponderе utitur.

In electionibus non fortunantibus ſolùm, &, ut ſic dicam, felicibus ſtellis & bonis, ut ♃ & ♀ utere, inquit, uerum etiam infortunantibus & malis, ut ♄ & ♂. Conuenienter tamen & mediocriter, ſicuti optimus medicus.

XI.

Non ante diem & horam eligas, quàm rei propoſitæ qualitatem cognoueris.

Vt ſi ad prelium eundum eſt, ♂ cardine & angulo fortunandus eſt. Si ad ſcientiam, bona ♄ & ☿ habitudo, &c. fortuneťq; ☌ in nuptijs. ♃ cũ populus præfectis commendatur. Nec ſolùm planetæ ad naturam rei accommodandi ſunt, ſed & ſigna. Nam ♏ dolo & mẽdacio aptior, quàm ♈: quamuis utrunq; ♂ domicilium ſit. Ad exercendam iuſticiam ♎ commodior, quã ♉, q̃uis ☌ utrunq; attribuaťr. Sic octaua domus ualet ad abeundum procul à patria, ſecũda

ad

ad redeundum.

XII.

Amor & odium faciunt, ne iudicati effectus uerè proueniant. maxima enim attenuare, et minima in maius efferre solent.

Nam ut amor nostri, si de nobis iudicamus, maxima mala attenuat, & minima mala effert: sic odium, si de inimicis iudicium facimus, bona attenuat, mala effert. Decipitur enim amore odioq; animus, ne rem qualis, quanta ue sit, perspicere possit.

XIII.

Quando cœlestis dispositio quiddam significauerit, utaris syderibus corrumpẽtibus, hoc est, secundarijs, quasi cooperantibus.

Secũdaria sydera stellas transcurrẽtes & comatas nonnulli dicũt. Ego autem eas dixerim stellas sic appellari à Ptolemæo, quibus non primò per Astrologiam, sed mediante consideratione alterius artificis, qua secundariò iudicium corroboratur aut infringitur

gitur. Si(uerbi gratia) futuri anni uer morbos indicturũ ex disposition cœlesti Astrologus collegerit, antequam id êdat, considerabit humida'ne, an sicca hyems præcedẽs futura sit. Nam si humida erit, non dubitabit prædicere morborum uer fore refertũ: sin sicca, minùs aut forsan nihil futurũ prædicet. Sydera ergò siccitatis indictiua secundaria hîc nominauerim, quoniam non primo & per se sanum uer futurum significãt: sed per hyemis siccitatem, quę primò ab illis denotata, secundariò sanitas ueris ostenditur, quod per obseruationem medicorũ colligitur. ideò corrumpentia ipsa etiam appellauit. Nam quod & per se uerna dispositio significauit futũrum: id altera per siccitatem corrumpit. Dico autem primò & per se, non quia stellæ per se primò absq; motu inferioris elementarisq; materiæ agant: sed quia inde primò Astrologus nullo alio considerato, prædicit morbos mortales futuros: uerbi gratia, quia ♂ primæ atq; octauæ dominus sit, & in signo humano, id iudiciũ stellæ corrumpunt, quæ hyemis siccitatem significant, secundariò id significãtes, quia per siccitatem colligitur. Præter hoc illud appri-

apprime tenendum, secundaria signa nuncupari, quæ extra zodiacum sunt, sicut serpens, ursa, orion, canis, & huiusmodi. primaria, quæ in ipso zodiaco sunt, sicut ♈, ♉, &c. Sydus enim est, non stella una: sed quæ multis fixis constat, configuratio. Secundaria sydera uim corrumpendi habere ait, quoniam quę extra zodiacum sunt, multò magis considerantur an impediãt. id q̃d à stellis, quæ in zodiaco sunt, significatur. Habent autem multò minorem uim secundaria, quàm primaria: propterea quia hominum habitatio zodiaco fermè subiecta est. Et ita motus zodiaci & stellæ, quæ ibi sunt, tantò magis elementarẽ mouent mundum, quàm quæ sunt à zodiaco remotiores, quantò & uelociùs feruntur, & rectiùs irradiant. Nam superiorum uirtus efficax, per motum & irradiationem suam inferiora hæc agitat. Secundaria uerò sydera, quantò remotiora sunt à zodiaco, tantò & circulos minores faciunt, & obliquiùs irradiant. Iure igitur secundaria dicta sunt.

XIIII.

Quot quantisq; Astrologus impli

catur

catur erroribus, quando ſeptima domus & dominus eius impediuntur.

In quæſtionibus quærentis perſonam aſcendens ſignum & dominus eius denotat. Aſtrologi autem à quo quæritur perſonam, ſeptima domus & dominus eius ſignificat. Quare ſi ſtellæ infortunãtis præſentia uel adſpectu, 7 domus & dominus eius impeditur, falſam ſignificat prædictionẽ aſtrologi. quid dixi ſignificat? imò facit. motus enim ſtellarũ ac cœli corpora, ut diximus, corporeaq; mouet uniuerſa. quare uirtutes quoq; organicas. Sed phantaſia organica eſt, ſcilicet per accidens, qa nõ aliter niſi per phantaſmata intelligit. Ita ſeptima domo atque domino eius impedito, unde artifex ſignificatur, ingenium ac mens aſtrologi erroribus implicatur. quare ſi prudens eſt, nihil prædicet: ſed in aliud tempus quæſtionem reijciet.

XV.

Aſcendentia hoſtium regni ſigna illa ſunt, quæ cadunt ab aſcendente ipſius regni. Aſcendentia uerò

ami

amicorum ſigna angulorum ſunt. & aſcendentia eorum, quæ uerſantur in ipſa domo, ſuccedentes ſunt. id ipſum in dogmatibus conſiderandum.

Regni aſcendens eſt ſignũ, quod aſcendebat quando regnum illud inceptum eſt. Vt regni Ptolemęorum aſcendens, quod aſcendebat quando Ptolemęi primi regnũ incepit. Signa ergò, quæ cadunt ab huiuſmodi aſcendẽte, homines alienos ab eo regno ſignificant. Et ſi fortunata natiuitas ſua eſt, timendos pellendoſq; Aſtrologus conſulet. Sunt autem cadentia ab aſcendente tria ſigna, ſextæ, octauæ, duodecimæ domorum. Nam tertiæ domus ſignum quoniam * aſpicit aſcendens, non cadit ab eo. Certè cadentia ſigna & loca, domuſq; cadentes, quatuor eſſe dicuntur. Tertia quòd cadat ab angulo ſubterraneo. Sexta ab angulo occidenti: nona ab angulo mediį cœli, duodecima ab angulo orientis, hoc eſt, aſcendentis. Hæc cadere dicuntur ab angulis, quos non aſpiciunt, & ἀποκλίματα Græcè appellantur, id eſt, auerſa, nec aſpiciẽtia, nec

nec ſuccedentia. Quare 2 domus, etſi nullũ habet ad aſcendens adſpectum, non tamen ab eo cadit, quia eidem ſuccedit. Signa uerò quæ in angulis fuerunt, quando regnum inceperit, amicos regni ſignificant futuros: ſuccedentia regni, ſignificant homines, in quorum natiuitatibus aſcendunt: qui libenter in illo regno uerſantur. Et idem de hominibus ac regibus ipſis dicere poſſumus. ut qui ex tribus illis cadentibus in regis figura ſignis aſcendens habuerit, hoſtis ſit rẽgi, non regno. Et in dogmatibus etiam id ipſum eſt conſiderandum. Eſt autem aſcendens dogmatis ſignum, quod aſcendebat, quando ciuitas aliqua uel gens occupatam ſe opinione aliqua declarauit. tria ergò ſigna ab huiuſmodi aſcẽdente cadentia, hoſtes dogmatis ſignificant, in quorum natiuitate aſcendunt.

XVI.

Quando fortunantes Planetæ dominantur octauæ domui, tunc inducitur nocumentum à uiris bonis. Si autẽ fortunantur, liberant ab huiuſmodi nocu-

nocumento.

Vt ♃ & ☌, tunc quidquid nocumẽti futurum ab octaua domo ſignificatur, à bonis uiris inducitur. Domus malæ uidentur, ſexta, octaua, duodecima. Bonæ, 4 anguli. & duæ, quæ triangularem adſpectum habent ad aſcendens. Et undecima, tum qa aſcendens per * adſpicit: tum quia ad medij cœli angulum ſuccedit. quarum rationũ prima potior eſt. ſecunda uerò domus multò minoris bonitatis eſt: quia etſi ſuccedit aſcendentem, non tamen aſpicit ipſum. tertia uerò mala non eſt: quia & ſi cadat ab angulis ſubterraneis, aſpicit tamen aſcendens *. non autem utrùm fortunantes in fortunante ſuæ ſint Planetę, in genere conſiderãdum eſt ſolùm: ſed quæ, qualisq; fortunatio ſua ſit, examinandum. idem de ſignis.

XVII.

Quando de uita ſenis iudicium facis, non iudicabis antè, quàm conſideraueris, quot annis ipſum uiuere poſſibile ſit.

Ipsum enim Astrologum à natura ipsarum rerum oportet multa coniecere, nec ad iudicandum festinare. Hinc etiam significatur in dispositis agere superiora, nō contrà. Vnde quoq; sequitur, efficientiam suam non esse ita necessariam, ut rationem de loco suo possit depellere.

XVIII.

Quando luminaria utraq; in eodem minuto sunt: si fortunans quoque Planeta in ascendẽte est in omnibus, certè quæ ad manus suas perueniẽt, felix erit, qui tunc natus est. Similiter etiam si diametraliter se ab ascendẽte atque occasu aspiciunt. Sin uerò infortunans in ascendente est, contrarium huius intellige.

Quando ☉ & ☽ in eodem minuto sunt secundùm longitudinem: tunc pars fortunæ est in ipso etiam minuto adscendentis. Quare si fortuna, id est, Planeta bonus est in ascendente, felix certè est, qui tunc nascitur, in omnib⁹, quæ ad corpus propter ascẽ

dens

dens, & quę ad bona fortunæ pertinēt, propter partem uel locum fortunæ. Similiter si ☌ luminarium sic fit in hora natiuitatis, ut alterum in ascendente, alterum in occidente sit gradualiter, tunc enim pars fortunæ in 7 est cum altero luminarium: aspicitur q̄ diametraliter ab altero, & Planeta bono, qui in ascendente illi coniungitur. Sin uerò malus Planeta in ascēdente sit, contrarium est dicendum. Hinc est, quòd quando pars fortunæ in bono loco est, bono Planetæ coniuncta, uel saltem à bonis aspecta felix, tunc est in rebus extraneis natiuitatis: si in malo loco, &c. infelix. Quomodo autē hominum felicitas è cœlo pendeat, sic accipe. Apertum enim est, à cœlestibus motib⁹ atq; corporibus complexiones in animalibus innasci non has solùm generales, quas medicorum turba solet tractare: sed multò minutiores nimium q̄ uarias: quę tamen illarum generaliū quasi riuuli sunt ac appendices quædam, id uaria palmarum manus lineamenta in singulis ostendunt hominibus. Insita enim complexionum natura uirtutes q̄ insulcantur. hæc lineamenta stellas adeò sequuntur, ut qui natiuitatem alicuius

ſitũq; cœli horæ illius habeat, nec lineamẽtorum proprietates penitus ignoret, ſtatim intelligit, qualia in palmis manus illius hominis ſunt. Complexiones igitur animaliũ à ſuperioribus corporibus contrahuntur. A complexionibus uerò uarietateq; ipſarum, uaria in hominibus ſunt phantaſmata: quibus fit, ut alius alijs rebus gaudeat, aut doleat. Hinc multiplicia hominum ingenia ſunt, hinc uariæ uolũtates. nam uirtutes nõ organicæ, non per ſe, ſed per accidẽs phantaſmatibus aguntur. Hinc fit, ut alius ui pluuiæ perterritus, quieſcat, nec iter neceſſariũ agat: & ſereno poſtea cœlo, iter adgreſſus, in prædones incidat. Alius cœli ruina contempta, dum feſtinus pergat, nõ modò prædones effugit, uerumetiam ad opertum impetu aquarum theſaurum perueniat. Hoc ipſum natura factum ait Ariſtoteles, quia fortuna natura eſt, ſecundũ eundem in magnis moralibus, & in eudemijs. Complexio enim natura ſimiliter eſt. Hæc autem fortunationis & infortunationis principiũ & origo eſt. Et eſt à cœleſtibus tota natura hæc, atq; complexio. Cœleſtia igitur fortunationis atq; infortunationis hominum

origo

origo atq; principium sunt.

XIX.

Minuitur medicinalis pharmaci operatio, quando Luna Ioui coniungitur.

Corpus humanum Lunę subijcitur: & ideò cùm ☽ Ioui coniungitur, robustior fit complexio eius, & minuit dati medicinalis pharmaci uirtutem.

XX.

Noli membrum ferro tangere, quaudo Luna est in signo, quod illi mẽbro dominatur.

Humectatur enim humiditate Lunę mẽbrum quodlibet animalis, quando Luna est in signo, cui membrum attribuitur. Quare si tunc fortè membrũ illud uulneretur, non facilè propter nimiam humiditatem uulnus illud consolidatur.

XXI.

Quãdo ☽ in ♏ uel ♐ est, si dominus ascendentis Planetam aliquẽ, qui sub

terra ſit, aſpicit, confert purgatorio uti pharmaco. Sin uerò Planetã aſpicit, qui ſuper terram ſit, euomet medicinalem potionem, qui bibit.

De pharmaco potu dato, dicit quod ex ultimo aphoriſmi uerbo apertiſſimum eſt. Ideò ſigna duo triplicitatis aqueæ. Tertium reliquit breuitatis, ut ipſe arbitror, cauſa. Quando igitur in ſignis aqueis Luna eſt, opportunè purgatiua potio dabitur, ſi Planeta etiam, qui aſcendenti ſigno dominatur, Planetam aliquẽ, qui ſub terra ſit, aſpicit. Aſcendens enim ſemper illum ſignificat, qui agere quidquam incipit. Si ergò dominus eius Planetam, qui ſub terra ſit, aſpicit: tunc natura eius, qui bibit, ad inferiorem aluum faciliùs dimittit pharmacum. & ſic eius operatio commodè fit. Sin autẽ dominus aſcendentis Planetã aſpicit, qui ſuper terram ſit, tunc complexio naturaq; eius, qui bibit, à cœleſtibus agitata, ad ſuperiorem partem emittet medicamentum, & ſequitur uomitus. Verùm quoniam Ptolemæus aquea ſigna Lunæ dedit in potione pharmaci: non

erit

erit forsan abre, quando pilulę accipiuntur in terreis signis, hoc est, in ♉ uel ♍ uel ♑ Lunã collocare, & cætera obseruare, ut ipse dicit.

XXII.

Non incidas uestem nouam, neq; ipsa primò induaris, quando Luna est in ♌. quod si etiam infortunatur, maius malum erit.

Corroborantur quę fiunt, quando Luna in fixis signis reperitur. Leonis autem uirtus præter hęc etiam opera, quæ quãdo Luna in eo est, incipiuntur, ita disponit, ut lædere possint eos, qui utuntur. Id Leo aliàs significat, in quo uirtutem suam leonis signũ expressit. nam signis ab his inferioribus nomina sunt adcommodata. Ita hęc ab illis naturam & complexionem consecuta sunt. Quare cùm Luna in ♌ reperitur, nihil primùm incidemus: sed ne induemus quidẽ, hoc est, non facere incipiemus indumentum, quoniã nocebit. & multò magis si Luna in ipso Leone infortunatur, hoc est, à malo Planeta aspicit, aut ei coniungitur.

Aſpectus Lunæ ad Planetas aut ſua cum eis coniunctio facilè mobilem facit eum, qui natus eſt. Et ſi Planetæ fuerint fortes, actiuum ſignificat motum fore: ſin autem imbecilles, non actiuum.

Vt ♃ ac ☽ aſpectus ad iuſticiam animos mouet. huiuſmodi enim phantaſmata natura parit, eruntq; reipſa iuſtiſſimi homines, ſi conſuetudo quoq; uirtutis acceſſerit. Nam ut nobilitatem naturę à ſtellis eſſe uidemus: ſic à conſuetudine in contrarium ipſam retrahi non ignoramus: ita ut altera natura ex conſuetudine quodammodo fiat. Lunę autem ac ♂ aſpectus uiolentos, & ad uim inferendam inclinat animos. Lunæ & ♄ patientes ſecundùm ♄ naturam. ♀ & ☽ impatientes luxuriæ, hoc eſt, non poſſe abſtinere à Venere, &c. ☿ & ☽ acumen ingenij ac mentis præſtat. Hæ habilitates commoditatesq; natura datę, ſi Planetę fortes fuerint, actiuæ fiunt: ſin autem imbecilles, contrà. Fortes autem Planetæ ſunt per ſe, ſi reperiuntur in ſuis dignitatibus una uel pluribus.

per

per accidens uerò, dum sunt in angulis, & præsertim in ipsis angulorum cuspidibus, etiam in succedentibus. in cadentibus uerò 6. 8. & 12. omnino debiliss. sunt. Et secundum Porphyrium in Isagoge sua, ipsa Planetarum fortitudo significationes actiuas quidem facit: sed nihil, aut parùm confert ad apparentiam. secunda ita facit actiuas, ut magis appareāt, quàm sint. Debilitas primę non actiuas facit, & tamen si planetæ in angulis fuerint, actiuæ uidebuntur: ut si ♃ ex ♊ & ab angulo Lunam aspexerit, magis ui debitur homo uenereus, quàm sit reipsa. q̄d si ab ijsdem geminis & à domo cadēte, nec erit, nec uidebitur. Et si à ♂ & ab angulo, & erit, & apparebit. Quòd si ab eodem ♂ & à domo cadente, res magna erit, apparentia nulla uel parua. Ita & in cæteris omnino iudices. Sicut autem Luna superiorum uires & influxum suscipit, & ad hæc inferiora trasmittit, quare & ad ipsam maximè animaduertendum erit: sic quoq; Planetæ oēs, quia inferiores sunt, fixarum influxus suscipere uidētur, ac per Lunam maximè ad hęc inferiora transmittere. Vnde fit, ut duabus rationibus & consideratione sola Planetarę

pręcognitio aſtrologica præcipuè fiat, quia fixæ ipſi uires in ſe defluxas ſuſcipiunt: & quia celetrimè mouent, fixæ uerò tardè.

XXIIII.

Eclipſis luminarium in angulis uel natiuitatis uel annuarum reuolutionum nociua eſt. Accipiunt aũt tempus ex diſtantia, quæ eſt inter gradus aſcendentis & locum eclipſis.

Nocet (inquit) eclipſis, quæ fit in ipſis angulis natiuitatum, uel in angulis annuarum reuolutionum natiuitatis. Quia reuolutiones fiunt, quando Sol ad illud minimũ reuolutus eſt, in quo fuit tempore natiuitatis. Vnde numerus horarum eclipſis, annorum numerum in eclipſi ſolari ſignificat. Menſium in lunari, non integrũ tamen, ſed diminutũ, hoc modo: uide quot gradus ſint inter aſcendentem gradum & locum eclipſis, & quota pars ipſi ſemper ſunt de 180 gradibus, tantam partem numeri menſium uel annorum ab ipſo auferas. & reliquum erit tempus, in quo malè diſponetur homo ſecundùm ſignificationem anguli, ubi eclipſis

psis facta est. Verbi gratia, sunt 80. gradus inter ascendentem & locum eclipsis: ad hũc numerũ 180, qui sunt gradus hemisphærij superioris uel inferioris, ubi scilicet eclipsis fit, proportionem habent duplam $\frac{1}{4}$. Ita si eclipsis fuerit duarum horarum, erit nocumentum in rebus ab angulo significatis. In lunari quidem eclipsi in 27 diebus: in solari uerò in diebus 224 proximè. ad hos enim proportionem illam habent numeri dierũ 60 & 730. hoc est, duorum mensium in lunari, & annorum totidem in solari. Vnde patet ipsos non fuisse solitos quidquam diminuere, quando in occidẽte aut ascendẽte fiebat eclipsis. Accedit autem nocumentũ luminaris si in ipsa cuspide fit, aut non longius, quàm gradibus 5. nam si magis abest, diminuit omnino uis nocẽdi, ac euanescit.

XXV.

Facias profectionem significatoris, quando est in angulo medij cœli per ascensiones recti orbis: quando uerò est in ascendente, per ascensiones climatis.

Profe-

Profectio, ut nunc accipitur, est motus à loco stellæ per ascensiões climatis uel medij cœli captus: annũ unũ per singulos ascẽsionũ gradus significãs. Is inuenit, si stella, cuius profectio capitur, est in gradu ascendente cum ascensionibus climatis. Quando in angulo medij cœli est cum ascensionibus rectæ sphæræ. Quãdo uerò inter hęc loca mixtim, sicut ipse Ptolemæus in tertio quadripartiti docet. Nam si, quando est in his angulis atq; cardinibus, per istorũ ascensiones profectio, quam nonnulli directionem uocant, capitur: necesse est, ut quando inter ipsos cardines per utrasq; ascensiones inuestigatur. Est autem modus ab ipso Ptolemęo ibi traditus iste. Capit distantiam dirigendi Planetæ à medio cœli in sphęra recta, & distantia loci, ad quẽ dirigitur ab eodem medio cœli in eadem sphęra: similiter capiuntur etiam partes horarum utrorumque locorum eius qui dirigitur, & ad quem in ascẽsionibus climatis, & partimur distantiam dirigendi Planetę per partes horarum gradus sui: & quod exit, est tempus, id est, horæ distantiæ, est gradus eiusdem Planetæ à medio cœli. Is has igitur horas di-

stan-

ſtantiæ multiplicamus partes horarum loci, in quem dirigimus, & quod ſic ſubtrahitur à diſtantia ipſius. Et reſiduum eſt tempus, quo perueniet dirigẽdus Planeta ad locum, ad quem dirigitur. Exempli gratia, medij cœli gradus in natiuitate mea fuit 27 ♎ ⊕ tam uitæ, q̃ fortunæ princeps, q̃d miſerrimũ eſt: (qm̃ quãdo infortunat, & incolumitatẽ & bona extrinſeca ſimul oppugnat) fuit in 14 ſcorpij, huius gradus à 27 ♎ diſtantia in recta ſphęra graduum eſt 16 27. partes horarum in 14 gradu ſcorpij in climate 4. ſunt 12.57. Fiunt itaq; 16 horæ diſtantiæ. Radiabat autem ♂ ex 10.46 gra. ♑, capricorni gradum decimum, 46 aſpectu □ ad hunc ♑ gradum à medio cœli diſtantia eſt, 77 grad. proximè in aſcenſionibus rectæ ſphæræ. partes uerò horarum in 10 gradu, minuto. 46 ♑, & in climate quarto ſunt 11. & 57. has multiplicamus in hos diſtantiæ, 1.16. & quæ fiunt 15.8. proximè ſubtrahantur à 77. diſtantiæ quadraturę Martis, & remanent 61.52. qui ſunt anni nati. Si & menſes 10 proximè, & exeunt in annum domini 1457 à natiuitate, menſis Ianuarij: quando profectio partis fortunæ in ipſum

per

pernicioſum incidit gradũ. Eſt autem acriter aduertendum, quòd quando utriq; gradus, dirigendi Planetæ dico, & pertinentis loci ſunt in ſuccedenti ad medium cœlum, tunc quod ex multiplicatione fit, ſubtrahendum eſt, ex diſtantia loci ſuccedentis reſpectu alterius. Quando uerò in præcedẽtibus medij loci gradus utriq;, tunc diſtantia loci præcedentis ſubtrahitur à numero ex multiplicatione facto. Quando alter procedit ad medium cœlum, alter ſuccedit: tũc quod ex multiplicatione factum eſt, additur diſtantiæ loci ſuccedentis reſpectu alterius.

XXVI.

Valde res celatur, quando ſtella ipſam ſignificans, Soli uel ſub terra, uel in loco alieno coniungitur. Manifeſta uerò res eſt, quando ex caſu ſuo in ſuam exaltationem aſcendit. & eſt in loco proprio.

Res (inquit) ſicut furtum, adulterium, homicidium, cæteriq; actus, quos celare homines ſtudent: & illi, quos uellent prædicari, ut præclara in bello facinora. Cætera manife

nifesta sunt. Causa uerò est, quia quãdo Soli Planeta, qui rem significat, uel sub terra, uel in loco, ubi nullam habet potestatem, coniungitur, tum quia sub terra uel in alieno est loco, tum quia lumen suũ à maiore lumine obscuratur. Res quoq;, quas significat, reddit obscuriores phantasmatibus hominum ex turbatione humorum complexionũ caligine inuolutis. Quando autem in exaltationem suã ex casu ascendit suo, quia in proprio loco potẽtior est uis ac natura sua, qua agit in his inferioribus: clariora reddit hominum phantasmata, mẽtesq; nostras aperit nõ uniuersaliter, sed quantum ad eas res attinet, quæ ab eo significantur. Reddit autẽ phantasmata clariora non immediatè, sed per qualitatem continẽtis, modò mutatam complexionibus hominum ad ea phantasmata commouenda.

XXVII.

Venus facit uoluptatẽ in eo membro nati, cui membro dominatur signum, in quo est. Idem in reliquis quoque stellis intellige.

Nam si est in ♀, delectabitur multùm sensibus

sensibus capitis, & maximè ac prçcipuè qui est uisus. Si in ♉, uoluptate gulæ nimium capitur, & in cæteris signis simpliciter commodè membrorum actus capiendo. Quòd uerò de cæteris dicit Planetis, difficile aliquantum est. Sed si rectè accommodabis, rectè intelliges: ut si ♄ sit in ♈, iustũ in audiendo uidendoq; hominem dicas futurũ. Si in ♊, iustum in dando recipiendoque: hisq; maximam capere uoluptatem. similiter & in cæteris Planetis & signis hæc magis apparent, quando significata per singula membra uiribus stellarum adcommodantur, ut ♄ in ♊, ♀ in ♉, uel ♏.

XXVIII.

Si non potueris facere Lunã duobus Planetis coniungi, fac ipsam fixè coniungi, quæ utrorumq; complexionem habeat.

Hic aphorismus electionibus adcommodatur: & patet per seipsum.

XXIX.

Stellæ fixæ, mirabiles, & ultra

ratio-

rationem felicitates attribuũt. Sed ut plurimum concludunt eas in infelicitates Saturni.

Præcipuè autem illæ, quæ ſunt naturæ ♄ ac ♀ primæ magnitudinis, nec magnę latitudinis. quãdo ⊕ fortunæ coniunguntur, & quando ſunt in angulis medij cœli, uel aſcendentis in ipſa cuſpide, ita ut ortus ſtellarum fixarum etiam ſecundùm latitudinẽ ſuam accipiatur. Nam in medio quidẽ cœli cõuenit cum gradu longitudinis, ut ſi ſtella eſt in principio ♈, & principiũ ♈ ſit in medio cœli: ſtella quoq; ſit in medio cœli. cum alijs aũt locis non conuenit. Sed quãto magis elongatur à medio cœli, tantò magis differt. Ita fit, ut maxima differentia in ortu & occaſu ſit. Verbi gratia: ſi oriat principium ♈, & duæ ſtellæ fixæ in eodem ♈ principio ſecundùm longitudinem ſint; ſed altera borealis, altera auſtralis, à Sole per grad. 10. quantò citius, quàm principium ♈ ſtella oritur berealis, & tardiùs occidit, tantò tardiùs auſtralis oritur, & citiùs occidit. Id ab ipſo Ptolemæo in ultimo ultimi libri magnæ compoſitionis c. demonſtratur.

Non ergò ſolùm gradus longitudinis attendendus, ut eas ſtellas in gradu aſcendente uel occidente cũ principio ♈ ponamus: ſed etiam latitudo, quæ differentia non eſt eadẽ in oĩbus domibus. Nam in medio cœli, & ſubterraneo cardine nulla eſt, maxima in ortu & occaſu, ut dictũ. Nec ſimiliter nõ eadem eſt in omnibus climatib⁹, ſed maior ſemper in borealioribus; nec in fixis ſolùm attendenda, uerumetiam & multò magìs in errantibus: ne Planetas, q̃ ſunt in prima domo, locemus in 12. & contrà. Et qui ſunt in 6. ponamus in 7. & cõtrà. Qua in re omnes uideo noſtris temporibus uehementer errare. quod ne accidat, tabulam de hac re ſecũdùm Ptolemæum, dicto c. demonſtrationis, aliàs faciemus: quæ utiliſſima erit in locãdis tam fixis, quàm Planetis. Infelicitates autem ♄ ſunt, anguſtiæ, ęgrotationes malę ac longæ, mors infamis & uiolenta, &c.

XXX.

Animaduerte coronationes primorum regum. Et ſi aſcendens coronatio

nationis cum aſcendente hominis, qui ſperatur ſuccedere, ſuccedet in regno huiuſmodi homo.

Primi rêges ſunt, qui primi regnũ acceperunt. Conuenire autem ſigna dicuntur primùm quando ſunt eiuſdem triplicitatis: deinde quãdo ſextiliter ſe aſpiciũt. nam fœminina fœmininis congruunt, & maſculina maſculinis. & ſimiliter nocturna nocturnis, & diurna diurnis. In his tamen populorum mores modò contemplãdi ſunt. Nam legitimi regum filij ut plurimùm in regnis ſuccedunt, niſi uehementer cœlum obſtiterit: ſic & nothi, ubi uehementer cœlum fauerit. Accidit autem nimius cœli fauor, & contrarium rariſſimè: propterea quòd omnes rariſſimi ſunt exceſſus.

XXXI.

Quando ſignificator regni in locum interimentem inciderit, aut rex, aut magnus in eo regno princeps morietur.

Significator regni, eſt prædominator

medij cœli in tempore dato, id est, in tempore, quo princeps uel rex primus regni alicuius sedit, ac coronatus fuit. Huius profectio, inquit, quandocunq; in locum interimentem, sicut in ♂, uel ♄, uel in quadraturas ipsorũ, oppositiones ue peruenerit, uel rex, &c. Sed ipsorum regnorum quorumlibet atq; urbium, imperiorumq; mutationes animaduertere oportet. Nam regni imperij q; Rhomanorum prędominator fuit à tempore Rhomuli, alius dum mutato statu à consulibus & senatu Respublica administrabatur: alius item cùm Cæsar pulso Pompeio ut princeps sedit. Vehementer ergò errant, qui semper uno à maiorib⁹ nostris posito alicuius regni uel status prædominatore utunt. Sic omnes nũc uulgò statui Rhomanæ ecclesiæ Iouem præficiunt: nec saltẽ & mores ipsos mouere possent, non esse Iouialem hunc statum, sed Saturninum. Nam & si Iuppiter olim hũc statum significabat, quando uidelicet Rhomanus pontifex, iure pontificatus solummodo utebatur, & iusticiæ cultor erat, cõditione sui status: & statu ipso mutato, mutatus prout in illa hora contigit, prædominator est. Fuit autem mutatus

tatus ſtatus tempore, quo translatũ fuit imperium de ſede Conſtantini in partes occidentis. Vel, ut apertiùs dicã, quando in ſeipſos. Nam ubi primùm ſummus pontifex, quantum ad temporalia, Imperatori erat ſubiectus, quod multæ ſanctorum Pontificum epiſtolę oſtendunt: dominos eñ ſuos apertè appellant Imperatores. Poſt translationem imperij, hos, quos ipſi coronarunt, coronantq; imperatores, pedibus ſubiecerunt, ſubijciuntq;. Vbi nullius erant oppidi domini, multas nunc urbes in Italia poſſident. Statu igitur mutato, ille nunc Planeta eorum ſtatus prædominator eſt, qui in ipſa hora mutationis, in qua Imperatorem occidentalem pedibus ſuis ſubiecerunt, plures dignitates habẽt in angulo medij cœli. Hîc ♄ eſt, quod à geſtis ipſorum comprobatur, ſicut ab effectu cauſa. Nam ut ui ferroq; rapere aliena Marti datur: ita ingenio mutilationeq; nõ ferro aut armis, ſed dolo in aliena ſubrepere Saturno attribuitur, &c. Sic ergò &iam ex Saturni infortunationib⁹ fortunationibusq;, fortunatior aut infortunatior ſtatus is ſit. Sic ergò omnis ☌ ☍ cum ♄ & ♂, quadraturaq; ipſos perturbat, q̃d ſem-

per præuidi, amicisq; prædixi. Nam & turbationes, quas Comes Franciscus Sphorcia papæ Eugenio intulit, à ☌ ♂ cum ♄ in ♈ initium ceperunt. Quare timeo, ne & ☌ in ♏ futura, ubi ♂ prævalet, aliquid mali inferat. Quamuis igitur in sacerdotio ipse ♃ præsit: præsentem tamẽ Rhomanæ ecclesiæ, secularemq; statum ♄ protegit. Quare diligenter in omnibus rerum permutationib⁹ prędominatores in principijs mutationum notandi sunt.

XXXII.

Ad concordiam duorum conducit conueniẽs Planetarum aspectus, quæ speciem illius rei significant, in quibus inest amicitia in utraque natiuitate.

Concordiam dicit consensum duorũ in una re gubernanda, faciunda'ue Sicut si ad regẽdam scholam puerorumq; ludum, uel ad emendum uendendumq; gratia quęstus conueniãt. Cuius rei speciem formãq; ☿ significat. Mercurium ergò in hac re Planetam in utraq; natiuitate considerabimus.

Et

Et si fuerit aspectus conueniens, aut △, aut ✶ inter loca ♀, in quibus fuit, utraq; natiuitate, erit inter illos homines concordia in illa re gubernanda. Sin autē discrepans fuerit aspectus, ut □ uel ☍: non erit in illa re inter illos homines concordia. Nota tamen, quòd in Græco conueniens figuratio scribitur: quo uerbo, quia generalius & superius ad adspectum coniūctio etiam includitur, sicut si in eodem signo & gradu Planeta, q̄ rem significat, in utraq; fuerit natiuitate. Concordiam enim, ut dictum est, significat inter illos. Illud etiam hinc sequitur. Si nullus adspectus uel coniunctio inter loca stellæ rem significantis, non esse futuram concordiam. Nam si ad ea bona, ut Græcè dicam, configuratio & adspectus requiritur: unde hoc abest, inde concordia quoq; aberit. Durus autem textus uidetur, nisi sic supleas, Quæ speciem illius rei significant, in quibus in utraque natiuitate inest amicitia, quæ res illis ambobus communis est.

XXXIII.

Amor & odium accipiuntur ex conuenientia tum luminarium, tum

etiam ascendentis utriusque uatiuitatis. Signa obedientia intendunt amicitiam.

Vt si ☉ in altera natiuitate in ♈, Luna in ♉ fuerit: in altera Sol in ♌, Luna in Virgine. trinus enim adspectus Solis ad Solem, & Lunæ ad Lunam est. Id erit etiã permutando: ut si Sol in ♏, & ☽ in ♌. Idem etiam si in eodem loco fuerint luminaria in utraq; natiuitate. Natura enim coniunctionis hoc habet. Sed ascendens quoq; considerandum, si idem fuerit aut conueniens, ut signa ascendentia sint in triplicitate uel sextili se aspectu aspicientia. Amicitiam enĩ inter illos homines firmam & amorem hæc significant futurum. Contraria uerò, contrarium. Sed amicitiam, inquit, sex obedientia signa intendunt. 12 signorũ, sex prima imperare dicũtur: sex postrema obedire: ita ut ♈ Piscibus imperet, ♉ Aquario, ♊ Capricorno: & sic de cæteris. Si ergò unum in utraq; natiuitate obediens signũ ascendit, aut duo non conuenientia solùm, sed etiam obedientia, ut ♏: in altera ♓, intenditur amicitia.

Huic

Huic contrariũ collige. Si idem imperãs signũ in utraq; aſcẽdit, aut ambo nõ ſolũ diſconuenientia, ſed etiam imperantia ſint, intenditur odium. Nam ut ibi alter alteri in amore magis firmatur: ita hîc alter alteri imperando maiora ſuſcitat odia. Quòd ſi conuenientia ſint, & alterum imperat, alterum obediat: ſic ſe habeat ♌ & ♎, quaſi patris & filij amicitia erit. Sin diſconuenientia: ſicut ſe habent ♌ & ♏, domini ferè ac ſeruitutis diſſidia faciunt.

XXXIIII.

Dominus ♂, uel qui maioris dignitatis eſt, ſignificat omnia, quæ fiunt in illo menſe, ſi fuerit in angulo.

Dominus ♂, eſt dominus ſigni, in quo eſt facta illa coniunctio, id eſt, qui maioris dignitatis eſt in gradu ♂. Sed dominus aſcẽdentis in ♂ luminarium. Maioris autem dignitatis dicitur, quia plures aut maiores habet dignitates de quinque dignitatibus, quę ſunt domus exaltatio, &c. quæ ſic ſe habẽt, ut prima ſit maxima, ultima minima, medię, prout magis minus ue accedunt, &c.

Primò ergò natura prædominatoris huiusmodi, deinde uirtus tantùm, quæ à locis suis uel alienis, tum quæ à situ eius in cœlo colligitur, hoc est, ex anguli qualitate: tum quæ ex effectu aliorum Planetarũ uel coniunctione perspicitur, diligenter inuestiganda. Sic enim quænam, & qualia futura sunt in illo mense, prædici generaliter poterint. Stultitia enim est, particulariter dicere illũ diem pluuiosum, illum uerò serenum. nam mensem humidum, uel siccum, uel uentosum, uel serenum, uel borealem, uel australem magis futurum, scientia magis consequi possumus. Illum uerò diem borealem, illũ australem, non prædicunt, nisi furentes, & maiore aliqua naturali potestate præditi.

XXXV.

Quando uerò Sol in locum alicuius stellæ peruenit, mouet actionem eius, quam habet in stella.

Mouet (inquit) actionem Sol eius loci & signi, quam illud signum habet in ea stella. Solet autem Planetas stellas appellare tunc

re tunc maximè, quando uult Lunam excipi. Dicit autem, MOVET, quia ad illam temperiem declinat, quam solet efficere stella, id est, Planeta in illo suo loco : ut, quando Sol est in ♈, tempus est tale cęteris paribus semper, quale est, quãdo ♂ est in Ariete. Et quando ☉ est in ♉, tale est tempus, quale ferè si ♀ esset in ♉. & sic de cæteris.

XXXVI.

Vtaris cooperatricibus stellis fixis in ædificatione urbium. Planetis uerò in ædificatione domorum. In omni autem urbe, quæ ♂ in medio cœli habuerit, gladio ut plurimùm rẽges moriuntur.

Fixas eligere iubet, meo iudicio, non omnes, sed quæ sunt de natura ♄ & ♀. His ergò dicit utendũ in ædificationib. urbium principio: ut uidelicet sint in cardinibus maximè ascendentis & medij cœli. COOPERATRICIBVS uerò ait, quia Planetis maximè utendum est, qui in angulis sint, uel bonum ad fixas habeant aspectũ. Ex omnibus tamẽ

tamen Planetis ♂ uitandum censet, & in cadente aliqua domo ponēdum, ac maximè cauendum, ne in medio cœli sit.

XXXVII.

Qui ♍, uel ♓ in ascendente habuerint, illi ipsi erunt causa suæ potentiæ. Qui uerò ♈ uel ♎, erunt causa mortis suæ. Eodem modo in cæteris quoq; signis ratiocineris.

Idipsum significatur, si unus dominus est duarum domorū, quod significatur ex ♂ duorum dominorū: ut si dominus ascendentis coniungitur domino medij cœli, significatur, quòd natus erit causa suæ potentiæ. Nam ascendens personam nati, significat medium cœli potentiam, & principatum, & regnū. ♍ autem ascendente, ☿ ascendentis & medij cœli dominus est. ♓ signo uerò ascendente, ♃ utriusque dominus existit. Qui uerò ♈, uel ♎, illi erunt causa suæ mortis. quod etiam significatur, quādo dominus ascendētis coniungitur domino domus octauæ, quæ mortis domus uocatur. Nam quando ♈ ascendit, ♂ eius dominus,

octauę

octauę quoq; dominus inuenitur. Quando uerò ♎, Venus est utriusq; domina. Et similiter in cæteris considerandum (inquit) Planetis, qui habent duas domos, quarum una ascēdit, altera in alio loco sit: ut cùm ♃ ascēdit, quando primæ & secundæ, quę diuitias significat & censum, idem ♄ dominatur, significat natum ipsum causam fore sui cēsus atq; diuitiarum. Quando ♏, inimicitiarū. Quando ♍, ualetudinis & ægrotationum suarum. & sic de cæteris.

XXXVIII.

Quando ☿ est in aliqua domo ♄, & potens, præbet ei, qui tunc natus est, exquisitam rerum intelligẽtiam. Quãdo aũt est in aliqua domo ♂, tũc bonam linguæ uolubilitatẽ præbet, & maximè in ♈.

Potens autem erit in ♃ & ♏ ☿, si erit in angulo primùm. deinde in terminis uel in facie sua. Causa etiam manifesta est. ♄ enim melancholicos facit. quam com-

plexio-

plexionem & ad intelligentiam rerum, & ad omnes res grandes aptissimam demonstrat Aristoteles in Problematibus. Ideò intellectiua uirtus Saturno attribuitur. ♂ autẽ loca bonam præbent linguæ uolubilitatẽ: quoniam eloquentia audaciam desiderat, & pronunciatio membri siccitatem. Primũ utraq; signa ♂ faciũt, alterũ ♈ solum. nam ♏ humidior est. Cùm igitur lingua principale sit eloquentiæ organum, formandęq; ipsius uis à ☿ infundatur, si in signo ipse sicco inuenitur, siccior ac uolubilior efficitur. Sin uerò in humido, grauata humiditate, formatiua uirtus Mercurij, grauiorem humore reddit linguam: ac ideò minùs ad uolubilitatem eloquentiæ commodam.

XXXIX.

Si undecima domus in coronatione rẽgis infortunatur, significat nocumentum domesticorũ eius. Sin secunda, significat nocumentum gregis eius.

Hoc ab infortunantibus aspicitur, uel infor-

infortunãtes Planetæ, ut ♄ uel ♂ in ea sunt. Decima enim domus ipsum regnum & regem significat, undecima amicos ac domesticos eius: secũda gregem eius, hoc est, uulgus & multitudinem subditorum. Hoc eñ census regius est.

XL.

Quando ascendens ab infortunantibus obsidetur, qui tunc natus est, turpibus rerum delectatur, & fœtidos diligit odores.

Obsessio Planetæ uel ascendentis ab infortunantibus est, quando est in medio duorum infortunãtis Planetæ aspectuum. Verbi gratia, sit ♂ in ♈, & ascẽdat ♍, quæ est inter ♌ & ♎: quæ figuræ & à ♂ inspiciuntur, & Virginem obtinent mediam. Obsidetur igitur ♍, & quicunq; Planeta in ipsa est, à ♂. Sed à duobus etiam malignis Planetis locus aliquis potest obsideri & signũ: ut si ♄ sit in ♍, ♂ in ♏: ab opposita enim utriusque radiatione ♈ obsidetur. Nam ♄ Pisces, ♂ ♉ radijs oppositis percutit: inter quos ♈ collocatus obsidetur. Et hęc obsessio

sio tantò peior est, quantò propinquior gradui reperitur. Sit ♄ in 12 gradu ♎, & ♂ in 10 ♏, quadratis utriusque radijs, 25 ♃ gradus obsidet. Idem gradus □ & △ Saturni, Martis sextili & aspectu □ obsidetur. Et hoc aphorismo docemur, non percussa solummodo Planetarum radijs loca, uerùm etiã obsessa esse consideranda. & sic à bonis circundata, proficere, ut à malis officiunt. Illud ipse adfirmarim, obsessum locum non pluribus, quàm 15 gradib⁹ ab alterutro gradu obsidente distare oportere.

XLI.

Caue, ne octaua domus & dominus eius in tempore abeundi infortunetur. In tempore autem redeundi, ne secunda & dominus eius.

Nam octaua domus, iter abeuntis significat: secunda, quæstum. & illa quoniam auersa ab ascẽdente, ac ad oppositam ascendentis domum succedens, uitam in alienis significat. Hæc quoniam ascendenti succedit, reditui ad patriam præest.

Quan

XLII.

Quãdo ægrotatio incipiet, si Luna erit in signo, in quo aliqua infortunans, siue in natiuitate uel in quadratura ipsius, uel in diametraliter opposito, erit difficillima. quod si etiam infortunans respicit, erit periculosa. Sin uerò erit in loco, ubi fortunans erat in natiuitate, non erit periculosa.

Nam fundamentalia Planetarum loca, id est, ubi fuerũt tempore natiuitatis, per totius uitæ spacium uires suas effundunt. Quare si cùm ægrotatio incipit, Luna fuerit in loco, ubi nociuus Planeta fuit in natiuitate, uel in quadratura ipsius Planetæ nociui, hoc est, in loco, quæ 90 gradibus distat à loco fundamentali eius, uel in loco diametraliter oppositio, erit, inquit, difficilima. Quòd si etiam infortunans respicit ipsam, uidelicet Lunam, in principio ægrotationis, crescit accumulatúrq; malignitas: & sic

ægrotatio periculosa redditur. Oppositum intellige, si Luna in loco fundamentali felicis Planetę fuerit, ineunte morbo. Hinc aphorismus ad initia etiam reliquorum casuum, agendarumq; rerum, non erit inutile transferre.

XLIII.

Malefactiuos gentis aspectus intendũt, contrarij temporales aspectus.

Malefactiuos gentis aspectus appellat diametrũ & □ infortunatantiũ Planetarũ, q fuerunt in principio principalis urbis, unde gens denominatur. Horum, inquit, aspectuum nocumenta intendũtur à contrarijs aspectibus, □ uidelicet & diametro, infortunantiũ. Temporalibus aũt, hoc est, q non in ædificatione urbis, uel institutione ciuitatis, aut in dogmatis receptione ad omnia enim hæc accommodari possunt, si postea consequuntur. Nam illos quòd fundamentales, hos transitorios uel temporales. Quando igitur malus fundamentalis aspectus fuit, intenditur, inquit, nocumentum, quod ab eo infertur. Quando postea malus temporalis

ralis aſpectus, in eundem locum uel Plane tam radios intulit. ut ſi ♂ fundamentaliter per □ aſcẽdens ipſum aſpexerit: hãc malefactiui aſpectus ſignificationẽ intẽdet quadratura ♂, ad idem ſignum taliter futura. Si fortè tunc eſt, quando res ſignificata per fundamẽtalem aſpectum futura eſt. Hinc colli ge, quòd boni aſpectus temporales minuũt malum, fundamentales omnino liberant à malo, niſi imbecilliores ſint.

XLIIII.

Quando aſcendens ægrotantis figuris natiuitatis eius repugnat, & annus non deuenit ad felicem aliquẽ Planetam, nociuum eſt.

FIGVRIS NATIVITATIS, in plurali dixit, quia utrumq; meo iudicio uoluit amplecti. Dupliciter enim hoc uerbum, FIGVRA, apud Græcos in Aſtrologia capit, pro ipſa poſitione, ordineq; ſignorum in 12 domicilijs, & pro aſpectibus Planetarum, coniunctione non excepta. Primùm igitur eſt, ſi ægrotantis aſcendens fuerit unum de tribus ſignis figuræ, quæ repugnant aſcenden

ti, quoniam omnia ab eo auersa sunt, sextæ domus, octauæ, duodecimæ. Alterum est, si ascendēs ægrotationis fuerit signum, ubi fuerit infortunans tempore natiuitatis, uel aspectum ab infortunante per ♂, uel quadraturam, nociuum est, inquit, huiusmodi ascendens, nisi reuolutio anni, in quo ægritudo incepit, in ♃ uel ♀, quę sunt felices stellæ, deuenerit: ut scilicet aliquis istorum Planetarum prædominator reuolutionis nati, uel saltem dominus ascendentis sit.

XLV.

Omnis homo, qui non habet prædominatores natiuitatis suæ in signis formæ humanæ, alienus erit à societate humana.

Prædominatores sunt Luna in nocte, & Sol in die. si sunt in ascendente, uel in medio cœli, uel in 7. aut 9. uel in 11. hoc est, in omnibus super terram, præter 8. & 12. Item qui sunt in signis, ubi plures habent dignitates cæteris, in eo tēpore, nisi cadant ab ascendente. Præterea, qui plures habent dignitates

tes in ascendente. Multiplices ergò sunt præ dominatores considerandi. Si ergò isti significatores fuerint in signis formæ humanæ, ut in ♊, ♒, & huiusmodi, faciunt hominem facilem, ciuilem. Sin uerò sint in feriformibus signis, alienum faciunt à societate humana, minùs tamen in mansuetis: ut in ♈, magis in atrocibus, ut in ♌, ♏, &c. Nã in mansuetis ipsi humiliter sequũtur homines, amantq́, sed quasi uiles ab eis contemnuntur, quod ego in plerisque uidi, qui præ dominatores in ♈ habuerunt.

XLVI.

Magnæ in natiuitatibus felicitates à fixis fiunt, & ab angulo coniunctionum, & à loco ☉.

Tres docet esse causas magnæ felicitatis: uidelicet, quando fixa stella primæ magnitudini naturæ fortunantium Planetarũ, est in gradu ascendente: quando ☉ in ipso ascendente gradu est. Et quando ascendens ♂ gradus uel ♂ proximè præteritæ, est gradus ascendens in natiuitate. Hæc tria con-

currere dicit in magnis felicitatibus. Verùm, quoniam utile ducimus ad scientiam, opposita semper colligere: ubique enim id faciunt studiosi, facillimum nãq; factu est, quoniam oppositorũ causæ oppositæ sunt, fient ergò magnę infelicitates, si fixa infelix puta, naturæ ♂ uel ♄ fuerit in gradu ascendentis, & pars ⊕ in domo 6.8. uel 12 partiliter, hoc est, in ipsa parte à gradu cuspidis collocata. Et ad hæc duo, si illud etiam tertium concurrerit, ut ascendens ♂, quæ nati uitatem immediatè præcessit, in aliqua ex tribus prædictis domibus utiliter reperiatur. Verùm illud ubiq; tenendum, res ita exponi, ut nullum per aliam rationem impedimentum inferatur. Nam hîc & felicitas minuitur, aut omnino demittitur, si radium ♂ aut oppositum uel quadratum immiserit. Et infelicitates similiter, si ♄ aut ♀ fuerint, aut per ✶, aut △ radios iuuerint. Sed maximè quidē felicitates concursu trium causarum, ut diximus, fiunt magnæ, duarum non contemnendæ ex una quaq; causa proueniunt. Quòd autem dixit, AB ANGVLO CONIVNCTIONVM, quamuis de ascendēte ipsum solùm crediderim intellexisse: in cæteros

teros quoq; angulos nonnihil adferre, si in ascendente natiuitatis ceciderint, non negauerim. Et primùm meridianum super terram, deinde occidentem, deinde domum quartam.

XVII.

Quando in natiuitate infelix stella in loco stellæ felicis fuerit, in alia natiuitate nocebitur habenti felicem ab eo, qui habet infelicem.

Planeta, infelicitans scilicet & infortunans, ut uerbi gratia, ♂ in loco felicitatis in alia natiuitate, ut in loco ♃, nocebit qui habuit ♂ ei, qui habuit ♃. Vt si ♃ fuit in ♊ in una, & ♂ in altera in eisdem ♊. Hæc Ptolemæus. Additur uerisimile nocumentum secundùm naturam nocẽtis. Nam si ♄ est nocens, nocebit dolo: si ♂, ira & ui, à locis aũt iudicant, ad quos pertinebit: ut si in 5. ad filios: si in 2. ad diuitias.

XLVIII.

Quando gradus medij cœli domini est ascendens clientis, & horum

prædominatores amicabili ſe aſpectu reſpexerint, diu coniuncti perdurabunt.

Si, inquit, gradus medij cœli in natiuitate domini, erit gradus aſcendens eiuſdē ſigni in natiuitate eiuſdem clientis, perſeuerabunt multo tempore. Si horum quoque domini, ſcilicet & clientis, id eſt, medij cœli & aſcendentis prædominatores amicabiliter ſe aſpexerint. Idem fit, ſi 6 domus ſerui fuerit in aſcendente domini. Hinc nonnulli ſimilia trahunt uxoris, ſi 7 mulieris aſcendens uiri fuerit, filiorum. ſi 5 filij fuerit aſcendens, alterius patris fratrum. ſi cætera unius fuerint, aſcēdens alterius. Sed q̄uis iſta non fuerint, neceſſitudo tamen coniunctionis & ſanguinis aſtris etiam dominatur. Prudentiſſimè igitur Ptolemæus hæc neglexit.

XLIX.

Quando aſcendens clientis eſt in medio cœli domini, adeò illi clientulo credet dominus, ut ſibi ab eo impe-

retur. Puta

Puta idem ſignum, & idem etiam gradus eiuſdem ſigni, tũc ſubditus domino imperat. Omnia enim ſic congregantur, accumulanturq;, non ſolùm dignitates Planetę, quas in ſigno toto habet: uerumetiam illæ, quas in gradibus ſigni nonnullis habet, ut eſt facies, terminus, exaltatio. Quamuis ẽ uirtus per totum ſignum fundatur, unum tamen gradum poſſidere uidetur, ut in 37 Aphoriſmo diximus: quando duobus unus Planeta præeſt ac dominatur, tantùm efficitur, quantùm ſi duo, qui dominantur, coniuncti ſunt: imò tantò magis, quantò maior unico in uno eſt, quàm in duobus coniunctis. Quas ob res ingens quoq; ſequitur effectus, ut rẽgi ſubditus imperet. Non eſt autẽ abſurdum adiicere, quod antecedent additur ſimile fore, ſi ſexta domus ſerui in medio cœlo domini fuerit. Quæ autem ante dicebamus, neglecta in antecedente à Ptolemęo fuiſſe, quoniam ipſa neceſſitudo atq; coniunctio ſanguinis ſtellis ipſis pręualent, ea etiam maiorem uim habere, ſi à ſtellis iuuentur, nemo negauerit. Sic aut diminui, aut in propoſitũ duci, ſi magna uis cœli reſiſteret, ipſe contenderim: ſed excedenti

tia ubiq;,atq; in omnibus rariſſima,& quaſi monſtra naturæ habenda ſunt.

L.

Ne prætermiſeris 119 *Planetarũ coniunctiones. Ex ipſis enim habetur cognitio generationis & corruptionis in hoc mundo.*

A ♂ enim Planetarum in ſignis ſecundum naturam utrorumq; hęc inferiora mouentur;atq; ita generationes rerum compoſitionesq; ſequuntur. Dicit autem has coniunctiones eſſe, 119. quod unuſquiſq; paruo labore uidebit,ſi duorum,deinde trium,poſtremò, 4. 5. 6 Planetarum coniunctiones numerabit. Duorum ſic,♄ cum ♃, ♄ cum ♂,♄ cum ☉,&c. Trium ſic, ♄ cum ♃ & ♂, ♃ ♂ & ☉,♂ ☉ & ☿:& in cęteris eodem modo.

LI.

Vbi eſt Luna in tempore natiuitatis,illud ſignũ in conceptione aſcendebat. Et ubi fuerit in conceptione,

illud

illud ſignum in natiuitate aſcendet, aut diametraliter ei oppoſitum.

Falſus hic nonnullis uidetur aphoriſmus propter Hermen, qui huius inuentor fuiſſe putatur, nec ipſe negauerim. Illum. n. ſemper ſequar, q dixit, Artes additionibus fuiſſe inuentas. Nam quæ priores confuſiùs, minusq; uerè protulerunt, ea poſteriores diſtinctiùs ueriusq; limauerũt. Hermes locum ſcripſit & gradũ, ubi Luna eſt in natiuitate, aſcendiſſe in conceptione. Contrà quoq;, ubi fuit in conceptione, aſcendere in natiuitate putauit. Ptolemęus ſignum ſolũmodo ſcripſit, aut ipſum, aut eius oppoſitũ: quod res ipſa uerum eſſe oſtendit. Mora. n. embrionis in utero 9 penè ſolarium menſium eſt. Semper enim in exitu ferè 9 huiuſmodi menſium ex utero funduntur homines. Cuius ratio eſt, quòd domus decima operationum largitrix ſit. Si ergò à loco Solis, ubi fuit in conceptione, 9 ſolares mẽſes conſequenter ſubtraxeris, erit Solis motus in medio cœli angulo, hoc eſt, in decima domo, à loco ſuo, quæ actiuæ uitæ fundamentum & principium eſt. Effundetur ergò

ad

ad agendũ infans: idcirco errori locus datus est, ut maior media, minorq; mora confícta sit. Hic error magis deinde per ignorantiam Astrologorum comprobatus est. Nam dato in natiuitate loco Lunę, moram ex ipso accipiunt. & id temporis spacium reuoluentes ascendere Lunam inueniunt. Quare decepti, tunc omnino factam conceptionem existimant: nec intelligere possunt, id ex motu Lunę ita euenire. Vbicunque enim in cœlo dabitur Luna, si reuoluto tempore per spacium moræ, quam scribũt, regredieris, ascendere ipsam inuenies. Motus ergò ipsius lunaris illud accidẽs est, scitu certè contemplatioeq; dignum. Vtrùm uerò secundũ illum Lunę motum post conceptionem homines ex utero prodeãt, non à motu, cui per se id accidit, sed ab experiẽtia partus hominũ, inuestigandum est. Teneri autem res periculo experimentoq; potest, tum à mulieribus, quę conceptione uoluptatem sentiunt, quæ uteri motu in raptu spermatis solet fieri: tum à uiris mẽtulæ longioris. Nam cùm post uoluptatẽ illam, statim rapto spermate haustoq;, uterus concludatur, ut Aristoteli placet, & experientia docet,

docet, ſentiunt uiri compreſſionē non paruam, & quaſi retentionem mentulæ, poſt ipſam ſpermatis proiectionem. Tum ex casibus multis, quibus fit, ut poſtquam honeſtè uiuentes uir & uxor conueniūt, longiore interiecto tempore ad id redeant. Ex quibus omnibus colligitur, ſolarium ſemper menſium 9 penè moratu homines in utero eſſe ſolùm. Ergò quando Luna in aſcendēte reperitur, uera eſt Hermę regula: in alijs minimè. Nam quando in occidentali eſt angulo, non ipſum, ſed oppoſitū ſignū aſcendet. Quando autem nec in orientali angulo nec in occidentali, ſed in intermedijs locis reperitur, difficile eſt dictu, utrùm idem, an oppoſitum. Id enim erit, quod ſecundū motum Lunæ uelociorem, tardioremue magis ad 9 ſolares menſes accidit. Præterea, ſi uera Hermę regula eſſet, quoniam conſtat Ptolemæū uidiſſe ipſum, quippe cùm eam emēdauerit, nuſquam, ubi agit de inuenien do aſcendēte natiuitatis hominum, tam anxipitem & lubricā rem putaſſet, ut uix eam inueniri poſſe confidat. Quippe quam ipſe ponit à prædominatore ♂ uel ♃, quaſi dubia ſit. Hac, inquit, uia, difficultate rerū compulſi

pulsi abutemur, quo abusionis uerbo usum fuisse ipse puto, quoniam plerunq; quidem ita sit. Et si quando ita non sit, maximam tamen inde prędominatoris gradus post gradum, qui uerè ascendat, uim habet in cuspide domus primæ positus.

LII.

Domini natiuitatis hominum procerorum in maxima sua longitudine sunt, & gradus ascendentes in signorum principijs. Naniformium uerò in minima. Sed cum istis etiam considerabis, utrùm multarum aut paucarũ ascensionum sint.

Domini natiuitatis, qui maioris in natiuitate sunt dignitatis, hoc est, qui plures dignitatum partes habent in ascendẽte. Nam cùm tripliciter maximè prędominatores dicuntur, ut diximus, luminaria, quando sunt in locis apheticis, qui sunt omnes supra terram, præter 8 & 12 domum: Sol in die, & ☽ in nocte, & maximè in signis sectę suę principatũ

cipatum tenent. Item quicunq; Planetę plures habet dignitatū partes in ſigno ubi eſt, q̄ cæteri in ſignis, ubi ſunt, nec ab aſcendente cadit: præterea qui plures habent dignitatū partes in aſcendente, hîc potiſſimùm nunc conſiderādus eſt. de ꝓceritate em̄ corporū agitur, quæ ſignificatio aſcendentis maximè eſt. Nam in omnibus ſecundū rem, qua de agitur, prædominator eligendus eſt. Huiuſmodi autem prædominatores ſi ſunt in maxima ſui longitudine, ut Sol circa principium ♌, procerum longioremq; hominem faciunt. Contrà, ſi ſunt in minima, quę ſemper & in omnib. Planetis maximè oppoſita diametraliter eſt: hoc primū, in quo etiam illud attendendum eſt, quòd non ſolùm prædominator conſiderandus eſt: uerùm etiam dominus ſigni, ubi prædominator reperitur. Nam ſi ipſe quoque in maxima minimaue ſua longitudine ſit, & prędominatore cōueniat, firmior res eſt. Sin contrariæ diſpoſitionis, quàm prædominator ſit, non parùm ei detrahit: ita tamen, ut prædominatoris uirtus ſemper pręferatur. Hoc præceptum hîc dictum, cæteris quoq; adcommodandum. Alterum eſt, ut principia

ſigno

signorum ascendant. Tertium, ut ascendāt signa multarum ascensionum, sicut à ♋ ad ♏. Plurimarum autem sunt ♍ & ♎: pauciſſimarum ♓ & ♈. Sed prima ratio cęteris potentior, quòd ostendit, quia uel sola, si in minima longitudine, naniformes facit, hoc est, nanis similes. Omnia uerò simul, si acciderint, quòd scilicet prædominatores in minima sua longitudine sint, & gradus ascendens in fine signi, & ipsum signū ascendens pauciſſimarum ascensionum, nanos efficient. Sed regionum quoq; proprietas diligenter consideranda est.

LII.

Macrorum domini latitudine carent: pinguium uerò latitudinem habent. Et si latitudo australis est, mobiles erunt, & quidem facile. Sin aũt boreales, difficillimè mobiles.

Prædominatores, ut in superiori, hic quoq; dominos appellat. Facit aũt Australis latitudo ascendentis ita pingues, ut pinguedo non nimiùm grauet, nec motum impedi-

pediat. Calidiorem australia faciunt complexionē, calor uerò mobiles: cōtrà, septētrio propter frigus, grauiores immobiliores'q; facit. Sed regiones & parētes hîc quoque considerandi sunt.

LIIII.

Planetæ, qui dominantur in ædificijs, si aspiciunt Planetas, qui sub terra sunt, impedimento sunt altitudini ædificiorum.

Clarus est hic aphorismus.

LV.

Minuitur nocumentum ♂ in nauibus, quando non est in medio cœli, nec in domo undecima. Cùm enim in his locis fuerit, corrumpit nauem ui Piratarum. Quòd si etiam ascendens per fixam aliquam infortunatur stellam, quæ complexionem habeat Martis, cremabitur nauis.

Oſtenditur nocumentum Martis in principio fabricationis, aut deductionis nauium paruum eſſe, niſi ſit in domo 10, uel 11. In 10, quia illi naues ipſæ: In 11, quia res, quæ ſunt in naui, ei attribuuntur. In altero igitur horum ſi ♂ fuerit, piratarum aggreſſus ſignificat. Quòd ſi cum altero iſtorum ſtella etiam fixa naturæ ♂ fuerit, in gradu aſcendente cremabitur nauis. Non dubitauerim hęc magìs eſſe cauenda in hora, qua natus incepit eſſe, hoc eſt, quando deducta natare incipit. Sed in ſolutione quoq; principali, ſingularum quoq; nauigationum cauenda hæc dixerim.

LVI.

In prima quadratura, hoc eſt, poſtquam Luna exiuit à ☌ Solis, uſq; ad ſecundam effluunt corporum humiditates. In reliquis uerò minuitur.

Hoc eſt, poſtquam duas Luna ad Solem facit quadraturas, una quum à ☌ Solis per gradus 90 receſſerit: alteram, cùm poſt ☌ 90 gradib. diſtat à Sole. Quoniã ergò di-

xit in præsentia: ideò necesse fnit aperire, quam primam uocet. In ipsa ergò, quæ est, postquam Luna exiuit à ☌ Solis, immediatè effluunt humiditates corporũ, atq; effunduntur: sicut aquę effluunt ex planis fluuiorum alueis, & effluunt usq; ad secundam. In reliquis uerò, id est, à secunda usq; ad primam, minuuntur. Dixit autem, IN RELIQVIS, quia sicut à prima usq; ad secundam, sic à secunda ad primam duæ quartæ circuli sunt.

LVII.

Quando septima domus, & dominus in ægro impeditur, infortunaturq̃: muta medicum.

Sicut ascendens significat ęgrotum, sic 10 medicum eius. Quare si Planeta infortunans in ea est, aut eam & dominũ eius aspicit, quoniam id errorem medici adfuturum significat, muta medicum. Aliter tamẽ, inquit Haly, distinxit Iahel: nam ascendens dedit medico, decimam infirmo, sextam infirmitati, quartam medicinæ.

LVIII.

Aduerte ♂ locum, in quo loco ab aſcendente anni eſt. Tunc enim erit caſus, quando profectio illuc perueniet.

Per profectionē prædominatoris natiuitatis, uel ⊕, uel medij cœli, aliorumq; ſecundùm proprietates naturasq; ſuas inuenitur annus, in quo aliquid euenturum eſt. Menſis autem inde inueniri uix poteſt. nam & ſi natura rerum id quoq; poſſibile eſt: tamen propter uarios calculoꝝ multiplicesq; anfractus ſtellarū, loca non ita pręciſè cognita, ut res flagitat: ſatis eſt, ſi quis annum, &c. ſi Ptolemæi ſciētiam conſecutus ſit, inde obtineat. Anno igitur habito, ex profectione alium modum inueniēdi menſis docet, qui clarior fiet, ſi exemplo aperietur. 56 ætatis meæ annum, qm̄ 1451 ſuſpectum habui, profectio enim prædominatoris, ☿ fuit in 10 domo, ad quintum gradum ♑ perueniebat, ubi eſt ſtella naturæ ♄ & ☿ pernicioſa: menſem autem, in quo nec ſuſpicari quidem poteram. Sed poſtquam papa Nicolaus quintus, quia uertere de Græco in Latinum

tinum recuſaui, quòd apertè uiderem labo res meos ab ipſo in alios transferri, quòd ſchedulæ in Ptolemæi commentarios eius iuſſu adfixæ oſtendunt furorem ſuum, per ſummam iniuriam effudit: carcereq; ac alijs afflictis incommodis menſe Maio, huius aphoriſmi uenit in mentem. Conſideraui ergò in quo loco fuit ab aſcendente reuolu tionis anni eiuſdē ♂, quæ præceſſerat quintum gradum ♍, facta in eodem anno: & in ueni ipſam in ♌ cadere domum. Leo em̃ in reuolutione anni ætatis meæ 56 aſcēdebat. ♂ autem, quę prę ceſſerat, fuit in ♎: quod ſignum quintæ reuolutionis locum obtinet. & ita inueni id calamitatis à Mercuriali Saturninoq; homine inuehendam fuiſſe in ♌ circiter menſe, incipiēdo à tempore, in quo Sol fuit in 4 ♍ gradu, à medio menſis Decembris circiter. Et certè furorē ſuum in mediu conceptum, quoniam non patiebar labores meos in alios transferri, dedignabar 'que commentarios meos in Ptolemæum, qualeſcunq; ſint, mihi eripi: quarta die Maij adapparuit, nec dubito peiora etiam illum uoluiſſe. Sed iuuit primùm ☿ △ fundamen tali aſpiciens, fuit em̃ in ♌ gradu ♉. Deinde

♃ ✶ temporali. fuit enim circa initium ♐ tempore calamitatis. Sed mirabitur fortè quiſpiam, cur omnino aliquid incommodi futurum erat, cùm & temporalis aſpectus minuat malum, & fundamẽtalis △ ☿ omnino liberet, ut in 45 aphoriſmo diximus. Potens enim erat ☿, quia in 4 domo & in ♉. Ego autem non dubitabo dicere, quòd ſicut ſapiens & incommoda, quę à ſtellis portenduntur, effugit & commoda auget, ut ex 4 & 8 habetur: ſic ſtultus cõmoda per amentiam minuit, aut omnino perdit, paruas uerò, imò minimas ad malum inclinationes, in ſummum incendium per uecordiam rapit. Nunc ad ſenſum aphoriſmi aduerte, Inquit, Locum ♂ (quando ♂ ſine additione alia ab Aſtrologis dicitur, Solis & Lunę intelligitur) Eius autem ♂ locus aduertendus eſt, quæ præcedit locum fortunatũ, uel abſcindẽtem ſiue pernicioſum in eo anno, ſcilicet quem timendũ profectio uel exoptandum ſignificauit. Si bonum aliquid ſignificatur, ut in exemplo propoſito, coniunctionem ante quintũ gradum ♑ comperimus in ♓ factam. Hunc igitur locũ aduerte, inquit, in quo ab aſcendente reuolutionis eius

ſcilicet

ſcilicet anni, loco cadit. Tunc enim caſus erit, quãdo profectio illic ſuperueniet. Profectionem hîc non eam dicit, qua per ſingulos gradus annũ capimus: ſed eam, qua per ſingula ſigna, id eſt, domos ab aſcendente reuolutionis. Capto initio menſis ſinguli capiuntur: quod ita eſſe illud oſtendit, quia duodecim figuræ domos in annum diſtribuit unum. Et quoniam ♌ aſcendebat in reuolutione, cadit ♄ in domo ♌. Caſus ergò à doloſa inuectus uulpe ♌ menſe, à tempore, quo ♂ fuit in 4 ♑ gradu, &c. Attuli autem Pontifici magnam Ptolemæi Compoſitionem, traductam, & commentaria in eam menſe Decẽbri, quæ ipſe Iacobo actutum Cremonenſi tradidit. Quando igitur à profectione aliqua fundamẽtali, hoc eſt, à natiuitate perfecta quidquam portẽditur, quod uel nõ parum confirmabit reuolutio eius anni, ad quem peruenit profectio, uel refellet, uel minuet. Sed quãdo nihil certius à natiuitate ad aliquem deueniẽs habeatur. Et tamen reuolutio apertè futurum oſtẽdit aliquid, quod uniuerſaliter natiuitas, quamuis non ad certum annũ ſignificare, uel ſaltem ei non repugnare uideatur, uelisq; per-

ſpicere quo menſe id futurum ſit, coniunctionem, quę reuolutionẽ eius anni immediatè, hoc eſt, nulla alia media præceſſit, in quo ſigno futura ſit, uideas. Et id ſignum, quo in loco reuolutionis collocatur, conſidera. Et ab aſcendẽte per ſingula ſigna, mẽſes ſingulos computa. Tunc enim erit caſus (inquit) quando profectio coniunctionis, quæ per menſes procedit, illò perueniet. Verbi gratia, ad reuolutionem ætatis meæ 58. anno domini 1455. quæ ſit per tertium diem menſis Aprilis, per 15 horas ferè proceſſit ☌ Solis & Lunæ in ♓ facta. Aſcendebat autem in reuolutione ♃. Ita ♓ erant in loco tertio, quare quod reuolutio pollicebatur, niſi ipſa natiuitas ab eo aliena fuiſſet, circa tertium menſem ab eo, qui incepit, cùm Sol fuit in ♈ gradu 22. futurũ ſperaſſem.

LIX.

Caue ne pronuncies de abſente, quòd mortuus ſit, antequam perſpexeris, quòd non ſit ebrius: nec uulneratus, antequam exanimaueris, quòd

non

non inciderit uenam: nec quod thesaurum reperit, antequam inuestigaueris, ne depositum fortè acceperit. Similes enim figuræ aspectusq; in omnibus sunt.

Perutilis enim aphorismus. Fit enim hîc Astrologus cautior in proferendis iudicijs, quę propter similitudinem figurarum, id est, positionis situs & ordinis signorum in domibus, & similitudinem aspectuũ Planetarum decipere possunt in rebus connexis. Res cõnexas appello finitimas, & quasi cognatas, quales ipse enumerat. Depositũ enim delatum, creditumq; accipere, connexum est, inuentione thesauri. Pecunia enim utroq; modo confertur. Quibus autem modis distinguatur, nec ipse dixit, nec ego credo distingui, dissepariq; certiùs posse humana scientia. Satis ergò est, si de absentis incolumitate fueris interrogatus, dicere plurimum sanguinis à corpore illius fluxisse. particularia enim furentium sunt.

LX.

In ægrotis respice Criticos dies, & locum Lunæ in angulis sedecim laterum. Quando enim hos angulos non infortunatos inueneris, bene scias de ægroto futurum: quando uerò infortunatos, contrarium intellige.

Critici dies dicuntur à medicis, in quibus maior inter naturam & morbum committit pugna, sicut 7.14.21. q Latinè possunt dici iudicatiui: quoniã in eis de uictoria naturę aut morbi iudiciũ fit. Hi critici dies plures uidentur esse secundùm Ptolemæum, q̃ secundùm medicos, nec sine ratione. Medici enim solùm illos considerant, in quibus sensibiliter hæc pugna apparet. Ptolemęus causam huius rei aperuit, ac ita plures facere uidetur. Non appellat tamen omnes criticos, quoniam uerborum potestatem seruauit. Critici ergò dicuntur, in quibus pugna naturæ cum morbo sensibilius apparet: in quibus uerò non ita sentitur, & si ratio similis sit: non sunt tamen critici dies appellati, quoniam nec pugna, nec uictoria manifestè ac sensu comprehenditur. Criticos

ergò

ergò dies primò, deinde locum ☽, in angulis figuræ 16 laterum consideraři oportere, ait. Primum certè in secundo includit. quare bis dicitur, quoniam magis aduertendū. Principium ergò motus Lunæ, à principio ægritudinis capimus. Quum igitur uel □, uel ☍ aspectu eum locum Luna inspexerit, uel quando ei coniūcta fuerit, sensibus maximè pugna concitat. Quare hinc quatuor habentur dies, 7. 14. 21. & 27. & quoniā quadratura 90 graduum est, si hos diuiserimus erunt gradus 45. quibus cum distans fuerit Luna à loco, ubi fuit in principio morbi, motis humoribus ægroti per motum continentis aliquantulam pugnam commouebit. Sed non ita sensibilem, ut in quadraturis. Sed hos enim 45 gradus diuidit, ut in distantia graduum 22. & 30 minutorū motus pugnæ fiat à sensu remotior, quàm q in media quadratura fiebat. unde nec ullo à medicis modo hic motus consideratus est. Mediatarū enim quadraturarū motus etiā considerant, quos dies, indices dierum, in quibus quadraturæ fiunt, multi appellant. qualis est quartus ad 7, & 10 ad 14. & similiter de alijs. Sumunt autē initium omnes hi

dies

dies ab hora, qua Luna est in angulis figurę 16 laterum. Quare tũc censet uidendũ esse, utrùm angulum fortunari, infortunarí ue contingat aspectu Planetarum, uel ☌ nõ solùm Planetarum, sed fixarũ quoq; alicuius naturæ infortunantis, primæ magnitudinis & non magnæ latitudinis. ita tamen, ut in oriendo & occidendo non ipsa longitudo stellę sola, sed quę per latitudinis subtractionem additionem ue colligitur, in ☌ capiatur: de quo alibi distinctiùs diximus. Multùm enim ad ueritatẽ ualet, negligiturq; penè ab omnibus. Censet enim uidendum, an angulus huiusmodi per infortunantes stellas nequaquam adfligit. Tunc enim erit bona de ægroto crisis, iudiciumq; de uictoria naturæ. Sin uerò quod adfligitur, contrarium. Quòd dixit, in angulis figuræ 16 laterũ æqualium, tale est. Inscribas in circulo figuram 16 laterum æqualium. Arcus grad. 22. & 30 minut. ad tot enim gradus, 90 graduũ quadraturæ diuisione deducta, æquilatera 16 laterũ figura in circulo constituat. quod patet si 16 per 22 multiplicaueris, fiunt 360. quot grad. totius circuli ambitus est. Primus igitur angulus est locus, ubi Luna repe

ritur

ritur in principio morbi. Alij per singulos 22 grad. ab eo loco, & sic in singulis horis, quando Luna fuerit in huiusmodi angulis, infortunationem anguli fortunationem ue considerandam monet.

LXI.

Luna significat ea, quæ sunt corporis: quia illi secundùm naturam similia sunt.

Obiectionẽ soluit, quę poterat in prę-cedenti oriri. Mirum enim uideri poterat, quare Lunæ quadraturas ad locum, ubi fuit in principio morbi, sic capimus atq; diuidimus, ut nullam stellarum fixarum, Planetarumq; curam habere uideamur. Soluit ergò, quæ corporis sunt, Luna scilicet. & adfert rationem, quia illi Lunæ scilicet similia sunt animalium corpora. Crescunt enim & decrescunt, & attenuantur, atq; replent Lunæ incrementa, & attenuationes sequentia.

LXII.

Quoniam â minuto coniunctionis princi-

principium capis, poteris de mutatione aëris in illo mẽse præuidere. Tũc enim effectus erit, qualem principalior dominus anguli cuiusque figuræ significabit. Superat enim hic aëris naturam in istis, & complexionẽ præsentis temporis accipiens.

In consideratione naturæ aëris à ♂ Solis & ☽ initiũ capere monet. Nam sicut prædominator ascendentis secundùm quinque dignitates & locum, ubi est principalior significabit: ita erit usq; ad quadraturam primam. Deinde in prima quadratura non ad ♂ locum. sed ad Solem ordinata rursus figura, prædominator ascendentis similiter secundùm naturam sui & signi, ubi est, & secundùm latitudinẽ suam. ipsiusq; Lunæ uel borealẽ uel australem qualitatẽ aëris ostendet. Similiter in ♃, & in quadratura secũda, ut diximus, ad Solem, nõ ad ♂ locum. Superat enim iste, inquit, accipiens naturã aëris, & complexionẽ præsentis temporis: in istis uidelicet quadraturis. Ideò dixit, CVIVSQVE

QVE FIGVRAE, ut quatuor oſtẽderet eſſe faciendas figuras. In 402 horis coniunctionis, quadraturæ primæ ad Solem oppoſitionis, & quadraturæ ſecundæ. & principaliorem dominum anguli aſcendentis in ſingulis capiẽdum: illumq; pro ſignificatore temporis habendum. Animaduertendũ tamen, quòd prædominator aſcendentis in ♂ ad totum menſem uirtutem ſuam effundit. Et ideò dixit: quando principium captũ eſt à ♂ aëris, in illo menſe præuidere: quando ſi ad idem dominus ♂ & quadraturę inclinant: ut, ſi ad humiditatẽ, uel contrà maiorem futuram rem nõ dubitabis. Sin alter humiditatem, alter ſiccitatem, potentiori uictoriam dabis: ita ut ſemper propinquior quaſi particularior remotiore, quaſi generaliore, quaſi cæteris paribus potentior ſit: ut quadraturę dominus, ♂ domino. ad hęc naturæ temporis hæc eſſe accommodãda, nõ obliuiſcaris. Nam ſi ęqualiter humiditatem ♂ in ♓ & ♂ in ♍ facta, ſignificabunt non ęqualem futuram, in magnitudine ſua putabis, ſed æquale comparatione temporis. Nã ſi Februarium humidum, & Auguſtum dixeris, æqualiter tantũdem, & æqualiter pro tem-

tempore exceſſiuum à ſolito, utrũq; ſignifi ces: ita ut exceſſus etiam uterq; ad naturam temporis referatur. Regionis etiam natura & loci conſideranda eſt. Nam ſi tantũmodo pluendi uultũ in Agypto cœlum oſtenderit: humidus menſis iudicabitur, non minùs, quàm ſi magna uis aquarũ in Italia demittatur. Hæc & ſi quadraturis ſolùm accõmodauimus: non eſſe tamen alienũ à mente Ptolemæi, cenſemus, 16. angulorum figuram, à minuto ♂ capto initio, deſcribere, & ſingulorum figuram & aſcendentes angulorum, ſicut paulò antè dicebamus, conſiderare. non eñ poteſt iudiciũ fieri de morbis, niſi contingẽtis aëris mutatione. Fit autem de illis iudicium in angulis 16. Fit ergò continentis cauſæ priùs mutatio. Idcirco dixerim hunc aphoriſmum illi ſubiectum.

LXIII.

Aduerte quãdo ♄ & ♃ coniunguntur, quis horum in alterum eleuetur, & ſecundùm naturam illius iudica. Idipſum in reliquis quoque faci-

to

to Planetis.

Eleuatio Planetæ in alterum duplex. Nam & qui propinquior est, maximè longitudini suæ in epiciclo, in eum eleuari dicitur, qui à sua remotior est. Et qui in antecedentibus signis est, in eum, qui in sequentibus eleuatur. Vt qui in ♈ est, in eum, q in ♉, uel ♊, aut ♋, in eum quasi prosequens graditur. Sed primum modum in coniunctionibus Planetarũ magis consideramus, & secundùm eius naturam iudicamus. Secundum in aspectibus magis adhibemus. Hunc modum Porphyrius in introductorio ad iudicia docet, cuius authoritate ita frangor, ut secũdo semper solùm uti modo consulere non dubitẽ. Sic igitur, qui in præcedẽtibus est, in eum eleuari dicitur, qui est in succedentibus, quod non ad signa magis quàm ad gradus referendum contẽderim: ut qui in paucioribus gradib. sit, in eum inferatur, qui in pluribus est. Hic autẽ ab illo defluat, atq; quasi defugiat.

LXIIII.

Inuenias principaliorem in quæ-

ſtione dominum: inſpiciasq; quam ipſe uim habet in reuolutione anni, ut in aſcendente coniunctionis, & ſecundùm hæc iudica.

Principalior quæſtionis dominus eſt prædominator, qui plures habet in aſcẽdente maioresq; dignitates. Inſpicias igitur, inquit, quas uires iſte habet in reuolutione anni eius, in quo interrogatio facta eſt. In reuolutione dico anni, hominis. ſic enim intelligendum eſt. Et ſi reuolutionem eiuſdẽ anni non habes, conſidera quam dignitatẽ habet in aſcendente coniunctionis: & ſecũdùm hæc iudica. Nam ſi habet dignitatem in aſcendente coniunctionis, aut in reuolutione, ipſe ſignificator erit: ſin nemo alius Planeta in illis eſt, ex utroq; prudenter iudices, & à cæteris paribus multò plus tribuas, qui in angulo eſt, ei minùs, qui in domo ſuccedente. Illi penè nihil, qui in domo cadente ab angulo reperitur.

LXV.

In minima ó differẽtia mediæ con

iunctio-

iunctionis, & in media differẽtia maximæ.

Dixit in præcedenti, Consíderandum eſt, quam uim habeat principalior quæſtionis dñs in reuolutione anni, uel in aſcendẽte coniunctionis, quæ immediatè quæſtionem præceſſit. Nunc ut faciliùs aſcendens ☌ reperiatur, dicit differentiam mediæ coniunctionis eſſe in minima ☌. & differẽtiam maximè eſſe in media. Obſcurus ſanè hic aphoriſmus eſt. nec dubito ipſum de ☌ Solis & Lunæ dicere. Ipſam enim ſolùm oẽs ſine additione alia coniunctionem appellant. In alijs ſtellarum nomina ſemper ab ipſis ponuntur. ♄ enim & ♃ ☌ dicitur ♂ ac ♀. Quæ autem ſit coniũctio mediæ aut maximæ differentia, niſi quis exceſſum earum ad mediam capiat, difficile intellectu, propter breuitatem eſt. Quare tabulæ modò ab extremarum una per medias ad alterã extremam dixerim procedendũ, ita ut coniunctiones omnes ferè capiantur. Quòd autem nonnulli dicunt, minimas medias, maximasq; coniunctiones de ♄ & ♃ ☌, ipſe intellexiſſe, longè abeſt à ueritate. Nam maxi

mas, minimas, & medias ſuperiorum coniunctiones in iudicando nuſquam ipſe nominauit, nec ad propoſitum modò pertinebat de tẽporis magnitudine huiuſmodi cõiunctionum diſſerere. De tempore uerò luminarium etiam intellectũ erat dicere propter præcedentem aphoriſmum. Si ergò uerarum coniunctionum à maxima ad maximam differentias ceperimus, & ueloçiores atq; tardiores Lunæ motus non neglexerimus. ſic enim omnes nobis intermediarũ differentiæ coniunctionum patebunt, & in tabulam redigi poterunt.

LXVI.

Non utaris ſola profectione: ſed eo etiam, quod ſtellæ aut dant, aut auferunt.

In quadripartito, quando apheta Græcè, hoc eſt, dominus quãtitatis uitæ in 9. uel 7. eſt, occidentem gradum pernicioſum atque interimentem eſſe dixit. Decurſus autẽ aliorum Planetarum aliquid dare addereque ad uitam adſeruit, aut diminuere atque ſub-

ſubtrahere, prout fortunantur uel infortunantur, & quantitatem additionis uel diminutionem docuit inuenire. Nunc autem dicit, ſiue ad orientem magis, ſiue ad occidentem apheta eſt. occurrũtq; profectioni eius infortunantes aut aſpectus eorum, non interimentes, aut fortunãtes. Similiter ſubtrahendum addendum'ue ſecundùm illam regulam eſſe aliquid annis, qui à gradu aphetæ ad gradum interuenientem colliguntur. Quod certè naturale eſt, atq; intellectum. Nam ut ægrotationes per occurſus infortunantium inuectæ de uita ſubtrahũt: ſic contrà corroborata per occurſus fortunãtium, natura nonnihil addit ad uitam.

LXVII.

Minuuntur anni, qui dantur, pauciores q; redduntur propter imbecillitatem recipientis.

Antecedens aphoriſmus cauſam in hoc reddit. Anni enim, qui per aphetam dantur, diminuuntur, quando infortunantium occurſus debilitat recipientem. Ex quo intelli

gitur contrarium, crescere uidelicet annos huiusmodi, si recipiens occursu fortunatur, corroboratur.

LXVIII.

Quando malefactiuus Planeta orientalis est, perpetua corporis nocumenta: quando autem occidentalis, ægrotationes significat.

Id est, quando infortunãs Planeta corpore uel aspectu occurrens pfectioni aphetæ, orientalis est, significat perpetua nocumenta, sicut claudicationem, cæcitatẽ, &c.

LXIX.

Quando Luna Soli apponitur, nubiformibusq; stellis cõiũgitur, perpetuo nocumẽto lædítur uisus. Quando autem Luna in occidentali angulo est, & duo malefactiui Planetæ in orientali, & Sol in aliquo angulo excæcabitur.

Nubi-

Nubiformes ſtellas appellat, quas non nulli nubes uocant. Inueniũtur enim in zodiaco, quæ, ut ita dicam, conuolutiones fixarum obſcuræ. Hæ ſemper, quando Luna in ipſis fundamentaliter reperitur, nonnihil mali oculis adferre iudicantur. Quòd ſi oppoſita etiã Soli Luna fuerit, perpetuas incurabilesq; inferunt oculis ægritudines. Altera huius aphoriſmi pars apertiſſima eſt. Nam quando Luna in occaſu collocata eſt, oppoſitis infortunantium, Saturni uidelicet ac Martis, & Solis coniunctionibus, uel quadratis, percuſſa radijs, excæcabitur, niſumq; irrecuperabiliter amittet, qui tunc natus eſt. Non poteſt enim inſtrumenta uiſus tot tantisq; contrarijs occaſu Lunę, quadratura Solis, oppoſitione infortunantium Planetarum perturbata, aut naturam complexionemq; ſuam conſeruare, aut illæſam à primitiuis, ut Medici dicunt, cauſis permanere.

LXX.

In natiuitate eorum, qui furore comitati diuinant, nec Luna ☿ & neu

ter ipsorum ascendentem aspicit. In natiuitate autem dæmoniacorum ♄ quoque ad hæc noctu in angulo erit. ♂ uerò in die & maximè in ♋ uel ♍ uel ♓.

Concitatione furoris diuinare, à mentis prouenit perturbatione. Id facilè accidit, si nec Luna, neq; ☿ radios mittat in signum ascendens, quo nati persona significat. Sed nõ sufficit hoc, ☿ enim Lunam aspicit (ipse namque cogitandi actui præest) impeditur huiusmodi furor. Nam radij sui in Lunam immissi, nec mentem sinunt ipsam in furorem incidere. Dæmoniaci uerò, ad hæc ♄ quoq;, qui diurnus est, noctu in angulo habebunt. Crescit enim malitia infortunantiũ stellarum, quando in angulo prẹter sectam suam collocati sunt. Quare si ♂ in die habuerint angularẽ, idem consequẽtur. & maximè si hic uel ille in ♋ uel ♓, propter superabundantem horum signorum humiditatem, uel in ♍ situs est. ♍ enim cùm domicilium & exaltatio ☿ sit, multùm facit ad stabilitatem mentis. Quare si præsentia infortu-

fortunantium alicuius Planetæ lædit, confert ad perturbationem ipsius.

LXXI.

Quando in natiuitate uirorum in signis masculinis duo luminaria sunt, fiunt operationes eorum secũdùm naturam. In mulieribus autem intenduntur. Idipsum in ♂ atq; in ♀ intelligitur. Nam cùm orientales sunt, masculi efficiuntur: cùm autem uespertini, effœminantur.

Patet hic aphorismus. Causa q̃q; aperta est. Nam si utraq; signa ubi luminaria inueniuntur in natiuitate uirorum, masculina sunt, natura eorum masculina, ut ita dicam, syncera & integra redditur. Nec ferunt, imò summopere dedignãtur aduersus eam aliquid pati atq; committere. Muliebris uerò fortior fit, atq; ideò actus eorum intendũtur, hoc est, Venerei magìs fiunt. Si utraque luminaria in signis, dum nascuntur, habuerint masculinis. Idem fit, si ♂ & ♀ fuerint

masculini, hoc est, orientales. Huic contrarium etiam collige. Facile namq; intellectu est. Quô igitur plura concurrunt, eô complexionis (quæ inde infunditur) phantasmata feruntur. Quòd si exæquabuntur, nõ dubitauerim meliorem naturalemq; partem superaturam. Nam si æducatio & lêges ciuitatum prauas deprimunt cogitationes, faciuntq; ne in rem proueniant, nõ iniuria id, & quidem multò magis naturę rationiq; attribuemus: ut quum influxus stellarum exęquari uideantur, naturalem habitum possi deat; præsertim cùm uideamus multa manifestaq; naturæ, id est, complexionis uicia rationi sic omnino superari atq; extingui.

LXXII.

Dominus triplicitatis ascendentisq;, ad educationem pertinẽt, ea capias. Quæ uerò ad uitam, à dominis triplicitatis sectarij luminis.

Nam si domini triplicitatis ascendẽtis in dignitatibus sunt uel in angulis, & fortunati enutriuntur, euadunt q; annum primũ, qui

qui nati sunt. propter imbecillitatem enim infantium profectionem aphetę non considerabimus, nisi post annum. Ideò autem triplicitatem ascendētis accipit, quia conditionem ineuntis uitæ, imò totius ascendentis significat. Quæ uerò ad uitã, hoc est, utrùm per totam uitam non facilè sit ægrotabilis, aut facilè enim parua causa lædatur. Capias (inquit) à domino triplicitatis eius, cuius est signum, ubi luminare sectarium inuenitur, hoc est, à dominis triplicitatis signi, ubi Sol est in die, Luna in nocte. Hæreses enim Grecè, Latinè sectas appellamus, quasi enim quædam sectæ in stellis considerantur. Nam quoniã Sol diurnus est, omnes diurni Planetæ sequuntur eum, ut ♄ & ♃. Et Lunam nocturni omnes, ut ♂, ♀. ☿ autem utrisq; se adcommodat. Diurnus enim est in die, nocturnus in nocte. Similiter, qa Sol masculinus est, masculini de secta ipsius sunt, ut ♃, ♄, & ♂ in die, & ☿ orientalis. Lunam fœminini sequunt, ut ♀ & ♂ in nocte, & ☿ uespertinus, hoc est, occidentalis. Signa quoq;, prout masculina fœminina q; sunt, & nocturna diurna q;, alterutrum luminarium sectam sequuntur. Quod nos sectam

ctam, id nõnulli Latinorum condicionem ſtellarum appellant.

LXXIII.

Quando Sol cum Gorgonis capite inuenitur, nec à benefactiuo Planeta aſpicitur, nec benefactiuus in octaua domo eſt, & dominus ſectarij luminis ☌, per quadraturam uel ☍ aſpicit: caput eius, qui tunc natus eſt, amputabitur. Quòd ſi Sol in medio cæli eſt, corpus eius incidetur. Et ſi aſpectus fiat à ♊ aut à ♐, manus & pedes eius incidentur.

Gorgonis caput eſt, nunc anno domini 1456. circa 20 grad. ♉. Nec benefactiuus, inquit, hoc eſt, Planeta fortunans, & felix, ac bonus, eſt in 8 domo: nam quando ♃ maximè, deinde ♀ eſt in 8. quæ domus mortis eſt, non morietur mala morte, qui tunc natus eſt, & dominus ſectarij luminis, id eſt, dominus ſigni, ubi Sol eſt in die,

Luna

Luna in nocte. Quòd si Sol cæteris seruatis, ut dictum est, in medio cœli reperitur, &c. sicut in tertio.

LXXIIII.

Quicunque Martem in ascẽdente habuerit, habebit omnino in facie sua cicatricem.

♂ uulnerum & cicatricum factiuus est. Gradus uerò ascendentis, faciem hominis designat, ac uultum. Quare si ♂ in eo partiliter tempore natiuitatis est, habebit natus cicatricem in facie.

LXXV.

Quando Sol domino ascendentis in ♌ coniungitur, nec ♂ dignitatem ullam habet in ascendente, neque in octaua domo fortunatus est Planeta, cremabitur qui tunc natus est.

Causa est: nam dominus ascendentis ipsum, qui natus est, significat. quando ergò comburitur, & in ♌, quod signum calidissimum

simum atq; siccissimum, & omnino maximè igneum est, incendium significat. Si nullam (inquit) ♂ dignitatem de quinq; Planetarum dignitatibus habuit in ascendẽte, liberat enim, si habuit: & tantò propiùs periculum accedit, quãtò minor erit dignitas eius. Sed mirum erit forsan alicui, cur ♂ dignitatem habens in ascendente, liberet: cùm utiq; feruore suo deberet augere incẽdium. quia uidelicet malefactiui etiam Planetæ suis, ut sic dicam, faueãt. Sui autem sunt, in quibus dignitatem habẽt. Vnde, si domini ⊕ fuerint, & in angulo dignitate'ue sua reperiantur, & dominum ascendentis, uel ascendentem ipsum gradum aspiciant, diuitias nato conferunt, quauis congrua sibi ratione: uerùm, si etiam ♂ nullam habuit in ascendẽte dignitatem, euadit tamen natus, si fortunãs Planeta in 8. fuerit domo. liberat eñ à mala morte, ut dictum est.

LXXVI.

Quando ♄ in medio cœli, eiq; diametraliter sectarium luminare oppo nitur:

nitur: sitq; in angulo sub terra signũ terreum: qui tunc natus fuerit, à casu domorum super ipsum morietur. Si uerò signũ aqueum fuerit, in aquis uel ab hominibus suffocabitur: aut furca, aut uerberibus morietur, si signũ humanæ fuerit formæ. Sed si benefactuus Planeta in octaua fuerit domo, proximè ad hæc deueniet, nec tamen morietur.

Patet ex superioribus hic aphorismus. Saturnum autem in medio cœli dicit, & intelligit hìc non solùm super terram, sed etiã sub terra. quod inde patet, quia intulit, eiq; sectarium lumen opponitur. Est autem Sol quidem uel conditionis diurnę: Luna uerò nocturnæ. Quare nisi pro utroq; acciperemus, uanus esset sermo. nunquam enim Sol opponi Saturno super terram, in medio cœli collocato, poterit in secta sua, hoc est, in die. Vt igitur utrunque sectarium luminare locum habeat, necesse est in medio, uel super

per terram, uel ſub terra Saturnum ponere: ut quãdo ſub terra fuerit, tunc Sol in ſecta ſua ipſi opponi poſſit.

LXXVII.

Fac aſcendẽtis gradus profectionem gratia eorum, quæ ſunt corporis: partis uerò fortunæ propter res extrinſecas, atque aduentitias. Lunæ autem propter coniunctionẽ corporis & animæ, & medij cœli propter operationes.

Nam cùm aſcendens gradus occurrit infortunantibus locis, morbi ſuſcitantur ſecundùm naturam infortunantiũ, & ſignorum, ubi concurſus fit. nec dubium nobis facere debet apheta. nam ille quidẽ uitę præeſt, occurſuſq; infortunantes, quando profectionem ſuam offendunt, interimũt. Cauſa igitur mortis conſiderantur, quamuis fortunantium aſpectus adminiculãter euadunt: ſed non omnino nati. aliqua em̃ ęgrotatione laborabunt. Aſcendentis autẽ gradus

dus non mortales, sed leuioris ægrotationis ostendit: quando profectio eius in loca infortunantia incidit. Lunæ uerò profectionem fac, inqt, propter ♂ corporis & animę, hoc est, propter illa, quę manifestè corpori atq; aïo communia esse uidētur, sicut sunt lætitia, mœror, & similia. Nam Lunæ profectio infortunātibus locis occurrens, mœsticiąm secundùm signorum & infortunantium stellarum & domorum, ubi occursus fit, naturā solet adferre. Fortunantibus contrà lætitiam. cæteraq; huiusmodi, quæ animo atq; corpori communia sunt.

LXXVIII.

Sæpenumero Planeta operatur in eo loco, ubi operationem non habet, ita ut quæ sint præter spem, nato adferat.

Planetæ habent operationem in dignitatibus suis, & in locis, ubi gaudere dicūtur. & in locis figuræ, qui à Porphyrio χρηματικοὶ dicuntur, hoc est, ad adquirendum apti. Hos dicit esse 7. 4 angulos, quintū, no

num,& undecimum,in locis operantur ad bonum. In locis autem dignitatibus ſuis oppoſitis,ut fortunantes,minùs boni: ita fortunantes plus mali adferunt, quare ibi etiã operantur. Ibi autem non operantur, ubi nullam habent dignitatẽ,nec oppoſita dignitatibus ſuis,ſigna ſunt & loca, & figurę nihil ad ad eos pertinent,nec in adquiſitis locis ſunt. Vt ſi ♃ in ♏,& in loco figuræ tertio uel ſexto ſine aſpectu, coniunctioneq; aliqua,unde poſſit quæſtus prædici, adferret quæſtum. ſimiliter de alijs dicendum. Occultè & hîc Ptolemæus Antiſcia tangit. alioqui oppoſita aſſererentur in hoc aphoriſmo. Tanta autem Antiſciorum uis eſt,ut aſpectibus coniunctionibusq; ſicuti Planetæ & Planetarum ab ipſa & ſignorum atq; locorum figuræ uirtutibus operantur. Hæc Antiſcia multi Græcorum extollunt,diligẽterq; aduertenda monent, exponit nemo. Ptolemæus fertur libellum de eis ſcripſiſſe, ſed non reperitur. Ego,qui præter priſcorũ authoritatem reipſa non eſſe negligendam Antiſciorum rationem expertus ſum: alio loco & tempore, ſi diuina maieſtas conceſſerit, accuratè de ipſis ſcribam. Video enim

enim multa nullo pacto posse ab his, in necessitatibus prouideri, qui nullam Antiscio-rum habent doctrinam, frustraq; omnes Astrologiæ dare operam non dubito, qui eam uel nesciunt, uel contemnunt.

LXXIX.

Quando ♂ est in undecima, qui tunc natus fuerit, nunquam aduersus dominum suum prævalebit.

Qui sic positum habet ♂ in natiuitate, inquit, nunquam aduersus dominum suum prævalebit. 10 domus dominum significat. quæ etiam si dominus eius nõ sit in dignitate uel in angulo, nõ superatur tamen ab 11. Si ergò quispiam aduersus dominum suum insurgat, considerãdum ubi ♂, qui dissidiorum causa est, in natiuitate habuit, & non superabit, si in 11 fuerit. Nam sicut 10 domino attribuitur, sic 11 domesticis & clientibus domini accommodat: ut à 39 aphorismo colligitur. cuius causa est, quia succedit ipsis, sicut secunda primæ. Sed secunda significat externa nati bona. ergò & 11 domini.

LXXX.

Quando ♀ Saturno coniungitur, & dignitatem aliquam in ſeptima domo habet, immũdi erit coitus, qui tũc natus eſt.

Septima domus muliebris, matrimonio, & rebus Venereis attribuitur. ♀ autem ipſa rebus Venereis præeſt. Si ergò ♄ coniungitur, & dignitatem habeat in domo 7. transfert propter ♄, q ſordidis præeſt, coitum nati ad immunda. facitq;, ut contra uniuerſalem naturam monſtra, quadam & particulari natura, quaſi fœmina patiat. Cuius rei cauſa eſt, quia ♀ unà cum domo ſeptima fortunatiuam ſeminalium meatuũ uim naſcentibus præſtat. ♄ uerò frigidus atq; ſiccus eſt. Quare fit, ut quando ♀ ei coniungitur, obſtruat concludatq; ſeminales hominum meatus, præſertim ſi aliquam in 7 domo dignitatẽ poſſideat. Totam enim uim huius formatiuæ uirtutis hoc modo gubernat. Seminis autem meatibus frigore & ſiccitate ♄ conſtrictis, neceſſe eſt, ut aliò declinet. Hinc nimis acerbè in Pogium inuehitur, quem poſt 65 ſuæ ætatis annum, uxorẽ duxiſſe

duxisse dicitur iuuenculam, ut quasi iam de crepitus ageret, quod iuuenis nunquã agere potuisset. & sic gratiam multorũ accommodando uxorem & filios consecutus sit.

LXXXI.

Septem uijs tempora percipiuntur à distantia, quæ inter duos significatores est: à distantia aspectuum inter ipsos: ab ingressu alterius ad alterum. A distantia, quæ est inter alterum, ipsorum & locum, qui quod quæritur, significat. Ab occasu Planetæ, cum additione & subtractione. A mutatione significatoris, & ab ingressu Planetæ in proprium locũ.

Septem uijs inuenire tempus, quando res absoluetur, hic docet aphorismus. Vtilis ergò est interrogationibus, hoc est, quæstionibus astrologicis. & quando aliquid incepimus adgressiq; sumus, duos prædominatores capiemus. Ascendentis, & loci, quo

ſignificatur res, de qua quæritur, aut quam agere adgreſſi ſumus. Vtrùm igitur ad exitum perducamus, & facilè an difficile quod incipiemus: & utrùm fiat res, de qua quæritur, ex aſpectu prædominatoris cæteriſq; diſpoſitionib. cognoſcimus, hoc eſt, per cõiunctiones aſpectuſq; aliorum, ut eos, & maximè Lunæ, ut ſi media inter utroſq;, quos ab altero recipit radios, ad alterũ tranſmittat. Tempus autem, ſi quæris quando res propoſita, fiet. Si futurum eſſe inueneris, ſeptem id uijs, ait, ac rationibus & modis percipies. Primò à diſtantia, quæ eſt inter prædominatores, ut uideas ſcilicet, quot gradus inter eos ſint. Deinde & ſecundò à diſtantia futuri aſpectus inter eos, ut ſi nullo nunc aſpectu aut alieniore continerẽt, cùm uenturi poſtea ſint ad aſpectum, qui rem futuram ſignificat, uideas quãdo ad eum aſpectum peruenturi ſint. Tertio ab ingreſſu alterius ad alterum: ut uideas quando prædominator aſcendentis ad locum, ubi eſt dominus ſigni, quo res ſignificatur, perueniet. Et quãdo prædominator ſigni aut loci rem ſignificãtis, erit in gradu domini aſcendentis: aut quando coniungẽtur. Quartò, à diſtantia,

ſtantia, quæ eſt inter alterum ipſorum, ut, uerbi gratia, prædominationem aſcendẽtis & locum, quo res ſignificatur. Arbitror autem quaſi facile intellectu alterũ membrũ prætermiſſum ab ipſo, à diſtentia uidelicet alterius ipſorum, hoc eſt, prædominatoris rem ſignificantis ad gradum aſcendentis. Hic modus differt à tertio. Ibi enim tempus quãdo prędominatores, alter in alterius locum perueniẽt, conſiderabant. Hìc ipſam diſtantiam, hoc eſt, graduum numerum capimus, qui eſt inter utrunq; ipſorum & alterum locum, & pro ſingulis gradibus diem connumeramus, aut maius aliquod temporis ſpacium, ut ſeptimanam, menſem, annũ, prout potentes progredientesq;, aut ſtantes & tardi, aut ueloces Planetæ ſunt, & maximè Luna horam etiã capere pro gradu, non erit alienum. Quintò, ab occaſu Planetæ cum additione & ſubtractione, ut uideas quando Planeta prędominator ad gradum occidentis peruenturus ſit. Tunc enim finis atq; exitus rei erit. Capitur autem prædominator alteruter, qui citiùs id peracturus ſit. Dicit autẽ, CVM ADDITIONE, VEL SVBTRACTIONE, ſicut docuit in Quadri-

partito de additione ſubtractioneq; ad tempus ab apheta datum. Sed ubiq; diligenter cenſidera tropica, id eſt, uerſatilia atq; mobilia breuiſſimi temporis ſunt: fixa ſtabilia-que longiſſimi, media mediocris. Sextò, à mutatione prædominatoris. Nam ſi prędominator futurũ aliquid ſignificauerit quum retrogreditur, nõ capiemus tunc ab eo aliquam diſtãtiam: ſed totum tempus regreſſus ſtationisq; ſecundæ ſubtrahemus, & inde poſtea diſtantias ab eo capiemus, unde mutatus eſt, id eſt, unde progredi cepit. Septimò ab ingreſſu prædominatoris alterutrius in propriũ locum, maximè illius, qui rem futuram, aut caſurã, & in nihilum uenturã magis ſignificat, ut ſcilicet uideas quãdo huiuſmodi maximè prædominator in proprium locum, & domum, uel aliquam dignitatem ingredietur. tunc enim potentior factus ſignificationem ſuam perficiet.

LXXXII.

Quando aſpectus exæquabuntur, reſpice aſcendentes conuunctionis

nis aut plenilunij. Et si illud exæquabitur, noli adiudicanndum festinare.

Aspectus hîc intellexit eas distantias, quas in præcedenti docuit: & modos, quibus tempora capiuntur, ut iam dictum est. Ex omnibus enim 7 uijs uidebis, si idem propè tempus colligitur, aut si à pluribus ferè idem & aliud pronunciabis. Quòd si magna differentia erit & exæquatio, quæ fiat, ut non apertè plures firmioresq; uiæ idem cõcludẽt, hac exæquatione confusus ad ☌, inquit, uel ☍, quę proximè transacta est, recurras. Et ascendentes illius considera, quam habeat ad prędominatores prędictos distãtiam. Quòd si illud quoq; exęquabit, quod fiet, si ad neutram partem, quæ de duabus, quæ inde maiores habentur, declinabit. Solet enim Ptolemæus præcedentes aphorismos per sequẽtes declarare. Imò cognitio temporum etiã hoc modo habetur. Quando enim dubia nobis res est, à principali interrogatione, uel hora principij, tunc ad ☌ plenilunium'ue refugere solemus. Sed patet etiam ad rem ipsam uniuersaliter sic accommodari. Vt cùm dubij sumus, futura'ne

res ſit, de qua quæriť, an non: uel qualis exitus rei cœptę futurus ſit: tunc ad aſcendẽtes ☌ uel plenilunij recurrere debeamus. Qualiterq; ſe ad prædominatores habeat, conſiderem⁹: & alteram partem, adfirmãdi ſcilicet, uel negandi, quæ inde ſignificabitur, futuram pronunciemus. Quòd ſi etiam inde exæquatio, id eſt, nec adfirmatio plena, nec negatio habeať, dubij ſic procedemus, ut non feſtinare ad iudicandum uideamur.

LXXXIII.

Tempus præfecturæ diſpoſitionem animi ſignificat, quæ eſt inter præfectum & regem. Seſſionis autẽ tempus operationes ſignificat.

Quando aliquis, inquit, à rẽge ac principe præficitur, diſpoſitio uniuerſi ac figura tunc facta, ſignificat animi diſpoſitionem, quam habet præfectus ad regem, & rex ad præfectum. Tempus autem ſeſſionis, quando uidelicet præfect⁹ ſedebit, ſignificat operationes ipſius futuras in eos, quibus præfectus eſt. Hinc poteris uidere, rẽgis quoq;

aut

aut pontificis, uel imperatoris electionem, hoc est, horam quando electus est, non extendi ad operationes ipsas, sed tempus incoronationis.

LXXXIIII.

Quando in tempore sessionis ♂ est dominus ascendentis, & reperitur in secunda domo, aut coniũgitur, uel aspicit dominum secundæ, multa damna faciet.

Secunda domus adquirendæ acquisitæq; dominus est pecuniæ. quare si ♂ dominus est ascendentis in hora sessionis præfecti, aut incoronationis principis, & inuenitur in secunda, aut coniungitur, uel aspicit dominum secundę, multa damna faciet. Hinc collige quid futurum sit, si ♃ dominus ascendentis reperitur in secunda. & similiter de alijs.

LXXXV.

Quando dominus ascendentis, se

cun

cundæ domus, dominũ aſpicit, uel ei coniungitur, ſponte ſua princeps multas expenſas faciet.

Si in hora ſeſſionis aut incoronationis dominus aſcendentis coniungitur, aut aſpicit hominũ ſecundæ: ſponte, inquit, ſua præfectus uel princeps, &c. huius cauſa patet ex ſuperioribus.

LXXXVI.

Sol eſt uitalis uirtutis dominus, fons. Luna uerò naturalis. ♃ autem uirtutis, qua creſcẽtia creſcunt. ♀ uerò uirtutis, qua concupiſcimus.

Sol, inquit, eſt uitalis uirtutis fons & origo, unde uiuẽdi uirtus inferioribus, quæ uitam habent, naturaliter infunditur. Luna uerò naturalis, credo, uegetatiuæ ipſum ſcripſiſſe, ſed errore librariorum ſic eſſe mutatum. In Græco enim, phyſicũ naturale eſt, uegetatiuum phyſicum. Inter hæc uocabula unius tantùm literæ mutatio eſt. Vegetãdi enim uires à Luna originem habẽt. Nec obſtat,

obstat, quòd Ioui crescendi uirtutem attribuit. Nam etsi hæc uirtus uegetatiuæ animę attribuitur: multa tamen uegetabilia sunt, quæ non crescunt: sicut omnia, quæ in statum iam peruenerunt suum. Veneri uirtutem, qua concupiscimus, id est appetitiuam accommodat. De cæteris ipse quidem tacuit. Sed nõnulli ♄ ratiocinatiuam dant, ♂ animositatem, & eam uim, qua mouentur ad iram. ☿ cogitatiuam attribuunt.

LXXXVII.

Reuolutiones mensium fiunt in diebus 28. & horis 2. minutis 18. proximè. nonnulli autem à loco Solis iudicant quando ad gradum & minutũ perueniet, ubi erat primò.

Lunaris mensis æqualiter dierum est 28. horarum 2. & minutorum 18. proximè. 13 enim lunationes in anno sunt. Si ergò 365 dies dieiq; naturalis quartã unam, id est, horas 6 partiaris per 13., puenient dies 28. horę 2. & minuta horæ unius 18. proximè. Quare, si quo modo se habitura sit uegetãdi uir-

tus

tus per singulos menses, uidere uolueris: capto initio à natiuitate per singulos menses lunares figuram ordina, & considera. Sin autem uitalis uirtus tibi curæ esset, per singulos solares menses id quæras, quando cunque Sol ad gradum & minutum singulorum signorũ perueniet, ubi fuerat in principio solarium mensium, per dispositionem Lunæ considerabant. Ideò ait, NONNVLLI, &c. ut ostenderet hoc ipsum, quod dictum est. Quòd si nonnulli à mense solari lunarem considerabant uirtutem, non est dubitandum, quin ab ipso de uirtutibus aliorum Planetarum inquirendũ sit.

LXXXVIII.

Quando uolumus profectionem ⊕ in integro reuolutionis facere gradus, qui sunt à Sole ad Lunam capimus, totidem ab ascendente proijcimus.

Quoniam ⊕ in die à Sole ad Lunam: in nocte à Luna ad Solem, & semper ab ascẽdente multi capiebant: ostendit semper à Sole

Sole ad Lunam, & ab ascendente gradus proiiciendos esse: nusquam uerò à Luna ad Solem. Nam, ut in quadripartito ait, pars & locus ⊕ quasi Lunę ascendens gradus est. Quum enim duo luminaria, quasi animam omnibus prębeant, & gradus ascendens ad Solem referatur: gradus, qui eandem penitus ad Lunam habebit proportionem, quã ascendẽs gradus ad gradũ Solis, quasi alter ascẽdẽs gradus respectu Lunę est. atq; ideò sicut ille statũ corporis, corporeũq; omnium significat: sic iste rerum externarũ. Hac de causa ⊕ locus nominatur: inuenitur q; semper modo dicto. Quod autem additur à nonnullis, In natiuitate, ut scilicet gradus à Sole ad Lunam, qui fuerunt in natiuitate, ab ascendente reuolutionis proiicias, nõ est Ptolemæi, sed cuiusdã commentatoris prisci, qui Græcè Ptolemæi libros exposuit: cuius multa dicta inuenio in antiqua & noua traductione, in aphorismis Ptolemęi cõserta. Vnde signum est, Arabes & barbaros cùm è Greco transferant, multa iudicio suo addidisse: & inde postea Latinos mendosè habuisse.

LXXXIX.

Vide

Vide quæ ad auum pertinent, à ſeptima domo. Quæ uerò ad patruũ aut auunculum, à ſexta.

A quarta domo parentum futurũ ſtatum conſideramus. Ergò aui ſtatus à ſeptima proſpiciendus eſt. Hæc enim ad quartã, quarta eſt. quod fit, quia auus pater parentis eſt. Patrui autem uel auunculi à ſexta, eadẽ ratione. Frater eñ pãtris aut matris eſt, fratrum uerò domus tertia eſt. Quum igitur tertia à quarta reperiatur ſexta: ipſa patruorum aut auunculorum eſt. Hanc rationem ſi quis in cæteris ſequi uoluerit: ei dicere neceſſe erit, nonam nepotum ſignificare ſtatum, & ſeptimam filiorum fratris aut ſororis. Sed longiùs hoc modo procedere uanum putauit. Non ignoro eos, qui Aſtrologiæ detrahunt, hinc potiſſimùm anſas contra hanc ſciẽtiam capere. Impoſſibile enim (inquiunt) ſi pater per natiuitatẽ ſuam fautor ordinem confecutus ſit, quòd ea, quę de ipſo futura ſunt, per ſingulorum natiuitates filiorum mutentur. Ad hæc & ſimilia, primùm ſemper dicendum, Quæcunq; cœlo nobis portendũtur, non eſſe neceſſaria. non enim

enim ut priſci, fatorum uim immutabilem per aſtra hominibus infundi credimus: ſed ut dictum eſt, cùm per contactum, & uim cœleſtium elementaris hic mundus regatur: fit, ut motu cœleſtiũ naturę nobis quædam, & occultiores complexiones ex prima concretione corporum cum anima, id eſt, quando primùm ſpirare incipimus, imprimantur: unde & morbi & qualitates corporum præcognoſcuntur, & uires animæ, quæ organicæ ſunt. unde naturales ad uirtutem & ad uitam diſpoſitiones præſciunt: ut facilitas ad iram, inclinatio ad Venerem, & cætera huiuſmodi. Et quoniam ſine phantaſmatib⁹ nec intelligere homines poſſunt: intellectus quoq; accidens propter phantaſiam ſtellis ſubijcitur. qui tamen, quoniam organicus per ſe non eſt, ſuperare poteſt renitendo, ac repugnando hanc victoriam, eius, qui nunquam in uita ſenſit, aut lapideus eſt, & nullam habet in eo appetitus uirtutem: aut appetitum ſequitur, ut nulla rationis ad appetitiuas phantaſias repugnantia fiat: uel, quod tertium eſt, ſuper hominem iam aſcendit. Qui autem & libidinis ſtimulos, & iræ ardorem, & comedendi biben-

diq; auiditatem sæpiùs uicit, contraq; uigilias, labores, ieiunia, rationes subijt: is certè uidebit sæpenumero, quę phantasia per intrinsecam naturam complexionemq; corporis suggerit, ea superiori ratione, quoniã intellectus non organicus est: nam si organicus esset, non reniteretur quidem uirtuti organicæ: quod quoniã fieri sentimus, magnus atq; impius error est, necessitatem cœlo, ut Gentiles, nec omnes quidem illi, sed eorum imperitiores attribuere. Quòd si qs naturam corporis, id est, complexionẽ uel dispositionem, ad hæc uel illa phantasmata, & ad uarias multiplicesq; cogitationes inclinatã, superioribus infundi neget: rem utiq; manifestam negat, ut sensum negare uideatur. Quis enim non uiderit, mores insitos, & quasi naturales, corporis habitũ complexionemq; sequi? Quòd si ratio reuocat, necesse est aliqd esse, quòd eò impellat, unde ipsa reuocat, appetitum dicas id esse, carnisq; stimulos: sed hæc diuersa esse in diuersis nemo ignorat. apertè enim ad aliud rubicundi, ad aliud albi, ad aliud crispi. Similiter cæteri, ne longiores simus, dum cuncta complecti uideamur. Alij ad alia secundùm natu-

naturam & habitum dispositionemq; natu
ralem corporis inclinantur. Vnde Physio
logorum rationes initium habent, qui uel
minutis quibusdam lineis occultas homi-
num inclinationes considerant. Corporis
autē naturalis, huiusmodi habitus ac dispo-
sitio, nec fingi quidē potest aliunde, quàm à
stellis dependére. præsertim cùm uideamus
singulas regiones huiusmodi hominū cor
pora & uirtutes êdere naturales, qualis ratio
climatis flagitat: non est necesse in re mani-
festa Aphros, Aegyptios, Græcos, Italos,
Germanos, Scythas, aliasq; gentes quasi te-
stes citare. Esto, inquies, significet singulor
natiuitas dispositiones habitusq; naturales:
& hinc etiam gloriam & nomen, & conse-
quenter diuitias, atq; commoda incommo
da'ue, atq; paupertatem non necessariò futu
ram portendat. Filij autem mei natiuitas,
cùm dispositionem corporis, uirtutesq; or-
ganicas nullo modo mutet in me, quo mo-
do cætera mutabit? Quòd si natiuitas unius
filiorum meor mutauit, cur cæteror nati-
uitates non mutabuntur? Iacta iam funda
menta solutionis sunt. Primū, quia omnia,
quæ necessaria non sunt, tum ratione, tum

multis alijs modis & casu ipso mutantur. Deinde, quia corporis organicarum uirtutum qualitates inclinationesq; à continenti, & tandem à stellis imprimi conceduntur: cur ergò hinc non uidebit Astrologus, incommodo aut dedecori futurum parenti filium? An non uidimus, quæ patres multi laboribus acquisiuerũt, ea dilapidata dissipataq; à filio, & quidem parẽte uiuo fuisse? Nobilitari quoq; parentes, & illustres per filios fieri, plerunq; uidemus. Nam natiuitas patris per natiuitatem filij mutatur. Sed bona uel mala filij redundatura in patrem, per natiuitatem filij significatur. Idq; uariè fieri uarietate natiuitatum, ex multitudine filiorum quotidie cernimus. Quippe parentum uita, honor, cõmodaq; oĩa pendent à liberis: ita ut in eodẽ tempore nonnunq; ab alijs mœrore, ab alijs lętitia, ab alijs commodo, ab alijs filijs incommodo adficiantur, & honore clarescant ac decore notentur. quæ omnia tantò ueriùs nunc, quàm olim prædicentur, quantò minùs ratio colitur, & sensus amatur. Eodem modo, eademq; ratione nepotes auis, patruis, auunculis, fratres fratribus'que laudi & decori, saluti aut perniciei,

niciei, emolumento, aut damno per ſuam natiuitatem futuri portenduntur. Quod diximus, caſu etiam ſignificationes ſtellarum poſſe mutari, tale eſt. Imminet morbus cuidam poſt annũ ex frigida cauſa interiore, interea ſodales uel nolentem ad conueniẽdum ſecum conducũt: utitur uel inuitus calidioribus illorum cibarijs, & ita liberatur ab imminente morbo, nõ ratione nec prouidentia ſua, ſed caſu. Contraq́, magna humorum temperies à cœleſtibus cuipiam infuſa eſt, is extremorum continuo uſu, hoc eſt, calidorum aut frigidorum morbo contracto, non caſu, nec ſtellis, ſed ſtultitia atq; incontinentia perit: quæ res maximè homines uerſat. non enim magis prudẽs ſciensq́ quàm ſtultus atq; ignorans, quod ſæpè dictum eſt, aſtris dominatur, ideoq́ ratione ac conſilio uiuentibus, ſciẽtiaq́ rationis effectus eſt, nimium confert ſenſum ſequentibus, prodeſſe nequaquam poteſt.

XC.

Quando prædominator aſcendentem aſpicit: tunc res occulta erit

ſecundũ aſcendentis naturam. Quando uerò non aſpicit, erit ſecundũ naturam loci, in quo eſt prædominator ipſe. Dominus autem horæ colorem rei ſignificat. Et ſi ſuper terram fuerit, res noua eſt. ſin uerò ſub terra eſt, uetus. ⊕ longitudinem rei ſignificat: ſi longa uidelicet, an breuis eſt. Dominus terminorum cuſpidis quartæ domus & decimæ, & gradus Lunæ ſubſtantiam rei ſignificant.

Prædominator eſt, ut diximus, qui plures dignitates habet in aſcendente atq; maiores. Et qui habet plures dignitatis partes, is prædominator eſt. Quòd ſi exæquabuntur, qui meliorẽ figuræ locum obtinet: hæ uerò dignitatum partes ſecundùm negociorum qualitatem mutantur. Dominum exaltationis enim, quàm dominum domus in quærendis honoribus potiùs elegerim. & in cognoſcenda temporis diſpoſitione,

tripli

triplicitatis dominũ aliis prætulerim. Terminorum quoq; dominum cæteris antepo nam nonnunquam. Sed faciei quoq; domi nus in nõnullis præcedit, ut mox ex 95 apho rismo patebit. Sciendum tamen est, quòd si coniũgitur alij, uel aspicit alium, & ille alium: illum Planetam magis capiendum, qui tandem neminem aspicit. Et hoc est, quod dicitur, uacuum cursu ipsum esse debere. Tradere enim illi uires suas uidetur, quem aspicit: q̃d Sol maximè facit. Hic ergò præ-dominator, inquit, si aspicit gradum ascendentem, hunc enim semper intelligit Ptolemæus, quando ascendens dicit: hic enim horoscopus Græcè dicit. Hunc ergò si aspicit res, inquit, occulta, qua de quæritur, secundùm ascendentis uidelicet signi naturam erit, hoc est, ignea, terrea, aërea, aquea, &c. sicut prima domus significat. Sin uerò non aspicit, erit secundùm naturam loci, ubi est. Dominus autem horæ, duodecim horas diei semper attribuit, & nocti totidem, in quærendo horæ domino. Si ergò non sumus in æquinoctio, in 12 partes totum spacium diei ab ortu ad occasum partiemur. & similiter noctis. Deinde unicuiq;

Planetæ unam huiuſmodi horam tribuemus, capto ſemper initio à Planeta, qui diei dominatur: prout ſinguli ſeptimanæ dies uulgò nominantur, & dominus horæ eſt. hoc eſt Græcè diepon, in quem horarum talium numerus deuenerit, ſubſtantiam rei ut humanam, bouinam, aſininam, &c.

XCI.

Quando prædominator ægrotantis ſub radijs eſt, malum ſignum. Et maximè, ſi ☉ impeditur infortunaturq;.

Hic aphoriſmus per ſe clarus & manifeſtus eſt.

XCII.

Saturnus orientalis non nocet tantùm ægrotantibus, ſicut nec ♂ occidentalis.

Dixit in prçcedentibus, malum eſt ſignum, quando ægrotantis prædominator ſub

ſub radijs ſolaribus eſt, id eſt, quando propius Solem eſt grad. 15. ſic enim uulgò capiuntur. Sed ſub radijs ☉. Planetæ dicuntur eſſe, dum apparere nō poſſunt: quod in ſingulis ſignis propter ſignorum obliquitatē non paruam habet diuerſitatem. Latitudo enim non paruam facit in ſingulis climatibus differentiam. quæ omnia conſideranda non ignoranti ſunt. Verùm quoniā duo infortunantes Planetæ peiores eſſe, quādo ſub radijs ſunt, uideri poſſent per hūc aphoriſmum, id quomodo ſe habeat, explicuit: quòd ſcilicet tantùm nec ♄, quādo Sol eum præceſſit, nec ♂ adhuc ſequens nocere ſoleat ægrotis, ſi prędominium ſic cǫllati acceperunt. Nam ſicut ♄ frigus temperatius fit propter morā cum Sole: ſic ♂ feruor exardeſcit. Quare ille mora mitior, hic perniciosior fit. Ita ille minùs nocet orientalis, q̄ occidentalis: hic occidentalis minùs, quàm orientalis.

XCIII.

Noli antea ex aſpectibus ac figura iudicare, quàm coniunctionem

inuenias. Principia enim in omni ♂ mutantur. Coniunge igitur utraque, & non errabis.

Sol itaq; se habet ad uniuersum mũdum, sicut cor in toto animali. Nam sicut in medio corpore animaliũ est, sic Sol in medio sphærarum omnium, quæ motus eiusdem sunt, collocatur. Hanc similitudinem Aristoteles facit in libro, de partibus animalium. Sed post Solem Luna secũda uiribus est: nam & lumine maxima post ipsum est, & natura tali, ut cùm sit inferior stellis omnibus omniũ influxus suscipiat. & sic multiplicatis uiribus, uehementius in elementa rem influat mundum. Has ob res fit, ut tota dispositio cœli, quæ fortè reperitur in ipsa coniunctione Solis ac Lunæ, usq; ad sequẽtem ♂ per totum illud temporis spacium, uirtutem suam in hæc inferiora infundat. Hac de causa etiam in aphorismo 82. si ab aspectibus & figura, quæ de re propria est, certiores fieri nõ possumus, ad ♂ uel ♃ nos remittebat, hûc ad ♂ solã. uniuersaliter eñ est. Et principia, inquit, in ipsa mutantur, & uis sua, ut diximus, ad totũ mensem transfun-

funditur. Ideò prædominatores & tota figura in tẽpore quæstionis uel electionis initij & in nonnullis rebus genituræ quoq; ipsius: & si ad unum uergũt, ac concordia, quæ siue (ut ita dicam) amicitia est inter prædominatores, inter aspectus, inter signa, & omnino inter figuras certiores erimus, nec errabimus in iudicando. Sin diuersitas erit non magna, figuram, quę propria de re est, sequentur. maioris enim uirtutis est. Quòd si penitus ad contraria figurę tenderent, qđ rarò in quæstionibus accidit, nisi quæstio iudicium potiùs liberum & uoluntatem ac memoriam huiusmodi, quàm naturam sequatur, nos quoq; iudicium nostrum dubij suspendemus. Coniunctio autem in omnibus capi potest. Principia enim in omni ♂ mutantur. Quod quamuis ita sit, in quibus tamen rebus plenilunium potiùs, si propinquius est, sumimus: non, quia ipsa principia mutentur, sed quia uim quandam in nonnullis rebus pro qualitate ipsarum habet. Ita quadraturas etiam Lunæ ad Solem, in cognoscẽda temporum qualitate capimus, sicut in 62. aphorismo dictum est. Arbitror aũt ad res totas, atq;, ut ita dixerim, integras

cogno

cognoſcendas, coniunctionem ad particulares etiam oppoſitionem eſſe capiendam: ſicut (uerbi gratia) in natiuitate ad totam uitam & actus, coniunctio ſola ad gradum aſcendentem inueniendum, altera, quę proximè præterit, capitur: id ita faciẽdum uerbis ipſius percipitur, quæ in quibuſdã coniunctionem ſolam, in quibuſdam alteram, quæ propinquior ſit, conſiderandam cenſet.

XCIIII.

Locus potentioris prædominatoris ſignificat ea, quæ ab interrogante intenduntur.

Gradus aſcendentis prædominatores conſiderantur, ſicut domini triplicitatis, dominus exultationis, & terminorum, ac facierum. & hi magis quàm illi, ſecundũ rerum naturam. Et qui potentior eſt, tamen figuræ uiribus, quia in angulo, uel in domo ſuccedente, nec ab aſcendente auerſa, tum aſpectibus & coniunctione Planetarum fixarum, etiã primæ magnitudinis, nec magnæ

gnæ latitudinis. Huius interrogationem, inquit, interrogantis atq; quærentis, hoc est, qua de re quærat, ostendit, nec id absq; ratione. Is enim maximè phantasmata mouet ex Planetis, qui & potentior est, & in ascendente, quo persona interrogantis significatur, potestatem habet aut simpliciter maiorem, aut quod semper eligendum est, quantum fieri potest, pro qualitate naturaq; rei. Maximam idcirco in omnibus prudentiã & ingenium professoris huius scientiæ inquirimus. Nam si cæteris paribus, ut dicitur, alter dominus Martis, alter Iouis radio nitatur, ex hominis conditione, prudenter autem de Iouiali quidpiam, aut de Martiali rei quæri iudicabimus. Similiter de Venerea, de Mercuriali, Saturnaliq;, signorum ac locorum figuræ, ubi prędominator est, habita ratione. Sic tamen ut memores semper, simul liberum esse hominem, & libertatis suę naturã ipsi naturę, hoc est, complexioni è cœlo datę, ac phantasiæ, quę organica est, & naturam corporis sequitur dominari: & hæc organica corporeaq; cœlo subiici, liberum, ait, minimè per se subiici. Quare nullo modo ignorare debemus, alium

um à natura fingi hominẽ, alium à uoluntate atq; iudicio fieri. Ad quid ergò Astrologica iudicialisq; confert cognitio, quisquam dicet? ut scilicet nostras inclinationes, id est, nos ipsos cognoscamus, & sic mala euitemus, uel mitigemus, bonas meliores studio faciamus, & naturam ubique ducem, hoc est, rationem, qua homines sumus, diligenter sequamur.

XCV.

Quæ in singulis faciebus cooriuntur, ea proximè uiuendi modum & artem, quam natus eliget, significant.

Facies dantur Planetis, & in qualibet facie imaginem cooriri quandam Indi maximè adfirmabant, ut in ipsa facie ♈ hominem nigrum. Has ergò imagines dicit uiuendi modum & artem, quam natus eliget, significare quæ in ascendente sunt, hoc est, in facie gradus ascendentis. Quare semper imago, quæ reperitur in oriente, facie considerauda. Dixit autẽ, PROXIMÈ, ut ostendat

dat, non omnino tamen situs aspectus que Planetarum ad huius rei iudicium esse negligendos.

XCVI.

Effectus eclipsium, propinqui significant anguli, sed stellarum etiã tam Planetarum, quàm fixarum, quæ simul sunt, naturam considera: coorientia etiam non prætermitte: & ex his omnibus iudica.

Propinqui anguli loco eclipsis, effectus ipsius significant: sed stellarum quoq;, &c. Coorientia etiam, hoc est, formas, figuras, imagines, quæ cũ singulis faciebus oriuntur. Has formas πρανατείλοντα, hoc est, coorientia Græci appellãt: quoniã in ascendente tantummodo considerantur.

XCVII.

Plenilunij, aut coniunctionis dominus, quando est in angulo, antè perficit

ficit rem, de qua interrogatio fit.

Dominũ coniunctionis appellat prædominatorem, qui plures habet dignitates, hoc est, partes dignitatum in gradu ascendentis in coniunctione. Plenilunij uerò eũ, qui similiter dominatur in gradu ascendentis in ☍. Hic ergò, si est in angulo hora interrogationis ac quæstiõis, citiùs perficit rem, qua de quæstio est. Nonnulli tamen ipsius gradus, ubi ☍ fit, & grad. oppositionis super terram prędominatorem accipiendum arbitrantur.

XCVIII.

Transcurrentes stellæ, & cometæ, secundariam uim habent in iudicijs.

Hoc est, post stellarum uerarum iudicia effectus sui sunt considerandi. Nam si ipsa secundis conueniunt, maior erit notabilior ipsorum effectus. Secundariorũ autẽ effectus erunt, si in prima non opponuntur: sed si opponuntur atq; repugnant, non erunt, uel secundariam uim habẽt, quia uir-

tus

tus ſua dependet à primis : nam etiam ipſa ſecunda, hoc eſt, tranſcurrētes ſtellæ & cometę, quos etiam Crinitas appellant, per influxum ſuperiorum generantur.

XCIX.

Tranſcurrentes ſtellæ ſiccitatem ſignificāt aëris. Et ſi ab una parte feruntur, uentum ad illum ſignificant angulū. Sin uerò ad multas partes feruntur, aquarum paucitatem, et aëris mutationes, & exercituum incurſus ſignificant.

Dixit in præcedenti, quam uim habeant tranſcurrentes ſtellæ & cometę, quia ſecundariam, & à ſuperioribus dependētem. Deinde diuiſim per duos ultimos aphoriſmos ſignificatiōes ipſarū exponit. Tranſcurrentium quidem ſtellarū in hoc 99. cometarum uerò in centeſimo. Tranſcurrentium materia ſicca eſt, quod facilè incendium, & uelox conſumptio earum oſtendit. Ideò, ſi ab una parte feruntur, uentus illo ſignifi

gnificatur. nam uentorũ etiam materia ſicca eſt. Hæc cum illo congeratur, quò ſtellæ tranſcurrere cernuntur. Ventus inde ad angulum, unde tranſcurſus fiebat, flatus ex multitudine notatur. Sin autem à multis uarijsq; partibus ad multas paſſim feruntur, quoniam exalationũ habundantiã oſtendunt, paucitas erit aquarum, & mutationes aëris uarietate uentorum. ad partes eñ multas diſtracta materia, ad multas etiã neceſſariò reflat. Exercituum quoq; uocatur inuerſus phantaſmatibus, uidelicet hominũ, non aliter quàm continente aëre, quo ſpiratiuis exagitatis, quibus militares homines, q ſemper curſus formant, facile quaſi ad officium ſuum concitantur.

C.

Stellæ uerò comatæ, quæ undecim à Sole ſignis diſtant: ſi apparebũt in angulo, aut rex aliquis, aut magnus in regno morietur. Sin uerò in ſuccedente loco, bene ſe habebunt ornamenta

namenta eius: ſed gubernatorem ſuũ euitabit. Et ſi in loco cadente, erunt ægrotationes, & mortes repentinæ. Et ſi ab occaſu ad ortum feruntur, ſiue mouentur, alienigena hoſtis regionem inuadet. Sin uerò non mouentur, hoſtis indigena erit.

Quæ ii, inquit, ſignis diſtant à Sole, ſi apparuerint in angulo, ut ſi, quando Sol eſt in ♉, comata ſtella ſit in ♈, appareatq; ante ortum Solis in orientali angulo: uel ſi comata in ♊, & appareat poſt occaſum Solis, aut in occidente angulo, aut in meridiano. Dixit autem diſtantiam eſſe à Sole propter breuitatem: intelligens primùm à Sole ad comatam, deinde à comata ad Solem. Tertium enim commutati ſunt ſolum, diſtantia eadem permanet. Eſt autem diſtantia undecim ſignorũ in his ſolùm cometis, quæ apparent in ortu uel occaſu, ſtatim in prima apparitione. In cæteris cùm occultẽtur, ſolùm radios Solis ſubeuntes. Si uerò in ſuccedente loco per ſuccedentẽ hìc octa-

uam domum, quæ ſuccedit occidẽti angulo, & 11. quæ ſuccedit meridiano, ſuper terram ſolùm intellige. In ſuccedente namq; orientalis anguli & meridiani, ſub terra apparere cometa non poteſt. Quare cadentes quoq; locos nonam & 12 domos dũtaxat, nunc dici neceſſe eſt, in quibus poſt occaſum Solis poteſt apparere. Nam in aſcendente ante ortum Solis apparet. Quòd ait, Alienigena hoſtis regiones inuadet, nec intellexit, ut ego arbitror, in omnes ſigno ſubiectas, ſignificato euenturos effectus, licet in plurali REGIONES dixerit. Sed in eas tantùm, quæ diſpoſitę, ac quaſi ad rem prę-paratæ, quæ ſignificatur, ſunt. Cauſa enim, quæ neceſſariò inducit effectum ſuum, in omnibus operatur, quæ ſibi ſubiecta ſunt. Quæ uerò non neceſſariò, ſed ſolùm inclinando, ait, nõ in omnibus ſubiectis ſibi: ſed in diſpoſitis duntaxat uires ſuas extendit. Sunt autem crinitæ ſtellæ, ſicut & tranſcurrentes, non efficientes cauſæ, ſed ſigna ſolũ: cauſæ uerò ſunt cœleſtia corpora, unde ſigna quoq; iſta efficiuntur. Item REGIONES dixit, ne quis ad unam aliquam urbem ſignificata cometarum fieri arbitraretur. Lati-

us enim adeò patent, ut non urbes ſingulas, ſed nationes integras complectantur. Hæ cometæ, crinitæq; ſtellæ ſemper motu raptus ad occaſum mouentur. Quantum autē ad motum, qui fit ab occaſu ad ortum, non nunquam ſtant ut fixę ſtellæ uideant̄; nonnunquam etiam mouētur ad ortum inęqualiter. Non ſolùm enim alia uelociùs, alia tardiùs mouentur: uerumetiam eadem modò uelociùs, modò tardiùs mouetur. quod accidit, quia ſuperiora elementa propter raptū motu totius & tangentis feruntur. ac ideò pro repugnantia materiei, nunc ſtare, nunc moueri: & modò citiùs, modò tardiùs retractari, ferriq; ad ortum cometæ cernuntur. Vnde patet, ignem atq; aërem nullum habere, ut Platonici ſomniant, proprium motum circularem. æqualis enim atq; regularis omnis motus naturalis ac proprius eſt. Sed id utcunque ſe habeat altiùs naturales conſiderant. Si mouentur ergò relapſę: relapſę crinitæ ſtellæ ad ortum alienigenā, inquit, hoſtem inuaſurum ſignificant. Multitudo enim, & cruditas, & pondus materię motu hoc ſignificatur: quippe relabi aliter ad ortum cometa nō poteſt, niſi primo mo

tui nimium resistat. Multa uerò ac crudior materia à maioribus, superiorũ uiribus corporum collecta, tracta inflammataq; est. Quare maiores quoq; in inferioribus mutationes fore significat. Hæ uerò ab alienigenis non indigenis fiunt. Quando aũt stant, nec ullo modo ad ortum mouentur, materia necessariò tenuis, & nõ resistens ostenditur. Quare, causæ quoq;, qbus excitata est, minorum fuisse uirium percipiũtur, & minores his inferioribus facturæ mutationes significantur. quales sunt, quæ ab indigenis fiunt. Alienigenæ enim omnia simul diuina humanaq; subuertunt. Indigenę saltem mores, linguam, templa, religionemq; tuentur eandem. Illud non est nobis prætermittendum, quod & ante & post crinitas stellas, magna uis aquarum solet de cœlo descendere. Nam quemadmodum transcurrentes stellæ siccitatem significant, quia & ex pauca materia siccitates sunt, & ex sicca, quia facile in inferiori regione quàm cometæ inflammantur: ita crinitas aquarum uis magna & antecedit, & sequitur. Multam enim & compactam densamq; in superiori regione, quàm transcurrentes appareant, inflam

mari

mari materiam uidemus. Quare neceſſe eſt ut plurima undiq; excitata ſit, quam omnẽ ad regionem cometarum contractam eſſe impoſſibile eſt. Non enim poteſt tota ęqualis eſſe: ſed uaria atq; multiplex eſt. Quę igitur ſubſedit, ſubſidetq; in inferiorib. locis, ea in aquas reſoluta defertur. Hac de cauſa cometas humidiora tempora præcedũt ferè ſemper, & conſequuntur. plerumq; uerũ id ipſi non ſignificãt futurum, ſed fieri iam monſtrant. propria uerò ſignificatio ipſorũ eſt, ut à uerbis Ptolemæi colligitur, euerſio urbium, regnorum mutatio, cædes gentiũ, ingens ſanguinis effuſio. Omnis enim cometa uel mouetur ad ortum, uel nõ, hoc ab indigena mutationẽ infert, primùm ab alienigenis. Quare, quæ dicit Ptolemæus, ſtatim aphoriſmus incipiens, aut de morte regis, aut de ornamentis eius, aut de ægrotationibus, & de morte multorum ſignificationes ſunt, quæ à loco apparitionis capiuntur. Vtraq; igitur, & locorum apparitiones & motus, aut quietis ſignificata, commodè atq; diſtinctè colligentes, nõ longè aberrabimus. Locorum tamen ſignificata non in patientes, ſed in agẽtes magis, poſteaquam

uexatarum regionum iuris facti sunt, euenire contenderim.

Apparuit pueris nobis, ut à patribus nostris accepimus, crinita ingens in orientali angulo stella, quæ non parua ferocitate ferebatur ad ortum, Thamyris Partharũ rex, quem Taberlanum appellant, totam Asiam inuasit, & subuertit. Quumq; iam in Europam transitum cogitaret, eius morte, quem abiens regno pręfecit suo, redire in propria coactus est. Et in temporibus Iulij Cæsaris cometa in angulo stans, & Rhomanorum imperium in indigenam translatum iri, & mortẽ ea de re Cæsari significauit. Verùm, quoniam accidit, ut dum hęc scriberem, cometa stella Rhomæ apparuit, primò quidẽ circa Kalendas Iunias, inter quintã & sextã noctis horam in orientali angulo: nec certè alibi ea hora, nisi fortè primùm cometa poteſt apparere, apparebat 15 penè diebus: ita ferri ad ortũ, ut diurnus eius motus 4 proximè graduum esse uideretur. Cumq; per duos dies, ut ferunt, non apparuit, postea post occasum Solis solùm uisus est. 16 eius deinde Iunij mensis die, bis suppositis, quoniam ante ortum Solis, horis tribus, minutis

tis 30 proximè incepit apparere, si à numero ascensionum gradus Solis inclinate: qui tunc fuit in 20 gradu ♊ proximè, 52 partes horarum 3.30 subtrahemus, deueniemus in tertium proximè grad. ♈. De secunda uerò apparitione dubitatio est: utrùm eiusdem sit stellæ, an alterius. Circa principium ♌ apparuit Sole quartum proximè gradū ♋ obtinente. 30 enim grad. proximè inter stellam crinitam, & Solem ad minùs interesse censet Ptolemæus, quando scilicet ii signorū distantia est. Plures enim numero, aliter enim non posset in omnibus tam succedentibus, quàm cadentibus super terram locis apparere. Quare mihi non uidetur possibile, duobus diebus 60 grad. relapsa fuisse. Accedit quòd multò minorem omnes, qui uiderunt, adserunt desinētem primā fuisse, quàm secundam incipientem, quod contrà necessariò se habuisset, si eadem esset: quomodo autem si non plures, quàm quatuor grad. retracta prima dicitur motu diurno, postea desinens extenuata materia 30 grad. relapsa fuisset: præsertim cùm iam hanc alteram uideamus, quātò minor sit, tantò minùs ad ortum ferri, sic ut iam desinens stare

uideatur, quod necessariò ita semper fieri ratio demonstrat. Nam quantò magis extenuatur materia, tantò minùs resistit motu totius. Quas ob res, duas has ego crinitas fuisse arbitror stellas: primam quæ in ♈, alteram in ♌ apparuisse: & per hoc signa integrè absoluteq; peragrasse. Arieti subiici scimus Britanniam, Germaniam, Basternam, quæ nunc Vngaria nuncupatur: Leoni Italiam, Galliam, Siciliam, Apuliam, quã puto Ptolemæũ ab Italia separasse; ne quoniam antiquitus magna Græcia nominabatur, confusio fieret. Nec tamen in omnibus effectus uenturi significantur, sed in dispositis hostem alienigenam, & de longè uenturum. Velocitas ad ortum motus portendit, matutinæ operationis significationes citius uenturas, quàm uespertinas: in quadripartita doctrina Ptolemęus adserit, si similes uidelicet regiones respiciunt: sin uerò dissimiles, contrarium intelligendum est. Qui aũt, qualesq; effectus, apertius distinctiusq; dicere nec licet: nec, si liceret, iuuaret. Non ignoramus autem cardines, angulos, succedentem locum & cadẽtem uel secundũ alicuius figuram accipi posse, si id alienum à

mente

mente Ptolemæi iudicauimus: primùm, qa quod dicitur, undecim crinitas ſignis diſtare ſtellas plerunq; à Sole, non ad ſingulorũ figuras, ſed ad totius ſitum apertè refertur. Deinde, quia quod ait, Si apparebunt in loco cadente, ut in 12, qui inimicorum eſt, erũt ęgrotationes, aut in octaua, quę mortis eſt: erũtq; mortes ſubitaneę. Quare melius eſt, ut ego arbitror, ad ſitum totius ſimpliciter captum, quàm ad ſingulares regnorum uel regum figuras referre. Illud apprime notãdum, ſæpiusq; repetendum, ſignificationes cometarum præter opinionem, ac inſolentes eſſe, ut ſicut rarò apparent, ſic inconſueta ſignificare uideantur.

Commentariorum Trapezuntij
in Aphoriſmos Ptole-
mæi finis.

TABELLA ANTISCIORVM.

Sagittarius	1	29	Capricornus
Scorpio	2	28	Aquarius
Libra	3	27	Piſces
Virgo	4	26	Aries
Leo	5	25	Taur[illegible]
Cancer	6	24	Gemini
	7	13	
	8	22	
	9	21	
	10	20	
	11	19	
	12	18	
	13	17	
	14	16	
	15	15	
	16	14	
	17	13	
	81	12	
	19	11	
	20	10	
	21	9	

	22		8	
	23		7	
	24		6	
	25		5	
	26		4	
	27		3	
	28		2	
	29		1	

GEORGII TRAPEZVNTII

breuis de Antiſcijs tractatus.

NVNC quoniam rationem Antiſciorum quàm maximè licet diſſimulanter ſequi Ptolemæus uidetur: quam multi etiam Græcorum nominant, nõ explicant: quanquam in 78. aphoriſmo inſinuari apud Ptolemæum diximus, ne quid obſtare poſſit, ne apertè aphoriſmus ille percipiatur, dabimus operam breuiter, præ oculis uim eorum doctrinamq; ponere. ἀντίσκια Græcè, Latinè contrariæ umbrationes poſſunt appellari. Hæc, ſunt duo inter ſe in dierum ac noctium æqualitate correlatiui gradus in zodiaco, qui dies diebus, & noctes noctibus ſemper æquales reddunt. ut primus ♈, & 29 ♍: ſecundus ♈, & 28 ♍: & ſic deinceps. Similiter 29 ♊, & primus ♋. 28 illorum, & 2 huius, & tertius huius, & 27 illorum, & ſimiliter in alijs. Ita ut finis

unius

uius gradus, fini alterius conferatur. Quæ res ut facilius habeat, correspondentes ipsorum gradus conscribamus. Antisciorum initium ex duobus signis, inter quæ tropicũ interiacet punctum, commodissimè sumitur. Sumamus igitur initium à tropico hyemali. Totus Sagittarius in totum ♑ premittit antisciũ. Sed primus ♐ gradus in 29 ♑, secundus in 28. & deinceps hoc modo rursus 29 ♑ gradus in primum ♐ mittit antiscium: & cæteri gradus. Similiter alter in alterum, ut numeri conscripti ipsius scripturę collatione ostendunt. Similiter ♏ in ♒, ♎ in ♌, ♍ in ♉, ♌ in ♊, & è contrà mittit antiscium. Totum enim signum in totum, & gradus, sicut conscripti sunt, alter in alterum antisciũ, hoc est, ut diximus, contrarias inumbrationes mittere dicuntur. Ita totus etiam gradus primus toti correlatiui signi 30 correspondet. Illud certè dubitare quempiam faciet: si æquales dies diebus & noctes noctibus in cõscriptis gradib. æqualiter, & à quouis tropico distãtibus sunt: antiscia, id est, oppositarum umbrarum nominantur. Contrà enim æquales etiam umbræ sunt, dummodo in eadem hora, imò puncto

cto diei capiantur. Quod si fieri non potest, sufficit ita se rerum naturam habere. Meridionalis certè umbra unius diei æqualis, omnino est meridionali alterius. Nam quã do Sol est in 10 gradu signi alicuius, qui centum gradibus ab altero distat tropico, æqualem penitus facit umbram, atq; si esset in 20 correspondentis signi, qui similiter 100 gradibus ab eodẽ semper tropico distat. Cur igitur contrariã, aut signum in signum, aut gradus in gradum mittere umbram dicit, cùm æqualem in utrisq; Sol faciat? Quia certè si huius signi umbra, utpote meridionalis crescendo procedit, alterius diminuẽdo proficiscitur, ♌ in ♉ mittit, & ♉ in ♌. sed in ♉ meridionalis uel cuiusuis puncti inter diu capti, ũmbra minuit in dies. In ♌ consimilis puncti umbra quotidie crescit. nam quando dies crescunt, decrescunt umbræ: quando dies decrescunt, umbræ tunc magis protenduntur. Hæc igitur antiscia Græcè dicuntur. Hæc Agyptij maximè in iudicando secuti sunt. Nec cæteri, qui absolutè iudicandi scientiam consecuti sunt, contempserunt. Magnam uim certè habent, quamuis secundariam, hoc est, post erraticarum uirtu-

uirtutem collocatam. Nec minùs in his loca figuræ, ſicut anguli, quos etiam cardines appellant, ſuccedentes quoque domos, & cadentes ab angulis, aut ab aſcendente conſiderandi ſunt: poteſtates quoq; ſignorum, terminorum, facierumq;, ubi hæc cadunt. Præterea radiationes Planetarum ad ipſa, & coniunctiones: ad hæc oppoſitiones, & quadraturæ, ſextilesq; horum ipſorum antiſciorum dico aſpectus, negligẽdi nõ ſunt, & ſecundùm horum omnium uim & poteſtatem iudicandũ. Verùm, ut faciliùs, quanta ſit antiſciorum uis, pateat, utq; etiam occultiùs ad ea nos remiſiſſe Ptolemæus in aphoriſmo prædicto hac in re illuſtrius intelligatur, exemplo nobis opus eſt. Quare quoniam nihil notius, nihil certius noſtra ipſorum figura tenemus, non grauabimur ad aperiendam rem tantam, figuram genituræ noſtræ breuiter perſtringere. Nam ſicut temporibus Ptolemæi occultiùs multa erant tangenda, ut & indigni non percipe-rent, & digni ad quærendum inueniendũq; incitarẽtur: ita his temporibus, cùm omnis doctrina negligatur, apertiùs dicenda ſunt omnia, ut ſaltem ſic nonnulli ad ſciẽtiarum

amorẽ incendant. Noſtra figura hæc fuit. In medio cœli ſuper terrã erat ♎ 27 grad. proximè in ortu, quem Græci horoſcopum dicũt ♍ 6 grad. proximè ☉. in ♈ grad. 22. 33. proximè. Sed figura oculis ſupponatur. Sic enim oia faciliùs perſpicientur.



In hac genitura, ſicut in ſpeculo, uniuerſa uidentur, ad quæ concretio corporis & natura, ſiue complexio me trahit. Vnum ſolum, nec paruum, ſed maximum omniũ, quæ mihi ad hunc annum ætatis meæ, qui 60. eſt, acciderunt, nullo pacto ex ſitu ſtellarum, poſitioneq; totius figuræ atq; ordine haberi poteſt, quod perſtringere neceſſe eſt, ut rectè res tota percipiatur. Neminẽ credo fugit eorum, qui me norunt, Græcũ eſſe me, & in inſula Creta natum. atq; inde uxore ducta, ſimul cum ipſa & liberis iam

55 ferme annis per alienas nationes, procuĺq; à patria inuitum errare. Quis enim patriam, ubi natus, ubi educatus, unde uxorẽ duxit, ubi ſuos habet liberos, relinqueret? Reliqui tamẽ inuidia nonnullorum, & quidem potentius ſuperatus, & ſummis incommodis pro ſuperbia eorum adflictus: abiiq; cum uxore & unica tunc filia, Vicentiaḿq; cõductus, legi annos ferme duos: inde q̃q; conſpiratione aliquorum abire coactus, Venetias petiꝫ, duodecim circiter ibi annos uixi, æquitate, credo, iuſticiáq; illorum hominum diutius, q̃ innata infelicitas mea patere tur. Quum igitur inde quoq; receſſiſſem, Bononiæ annum ferme moratus, Florentiam ueni, & triennio pòſt Rhomanam ſequens curiam, ui rerum pulſus anno domini 1452. à papa Nicolao quinto, ad cuius honorem Matthæum, Chryſoſtomum, Euãgelicam Euſebiꝫ doctrinam, Ioannem Cyrilli, libros Ariſtotelis de animabus, leges Platonis, Ptolemæi magnã compoſitionẽ, quæ uulgò Almageſtus appellatur: Athanaſium & Baſilium Nazianzeni Gregoriꝫ, multáque præter hæc minuta uolumina è Græco in Latinum traduximus. Exacti Rhoma ſu-

mus, quia non patiebamur tot tantaq; uolumina, summo labore nobis ẽdita, partim in Pogium Florentinum, partim in Iacobum Cremonensem transferri. Quam indignissimam rem atq; inauditam non auderemus dicere, nisi eam apertè ostenderent schedulæ, manu Iacobi Cremonensis conscriptæ, & in commentarijs nostris, iussu ipsius Nicolai quinti adfixæ, mihi q; turpiter ab eo missæ. Quod cur faceret, inde patet, quòd cùm per epistolam, quæ extat, à me sibi fuerat supplicatum, ut nollet labores meos in alios transferre: uellet q; à me uexatione, quam acerba huius rei memoria faciebat, liberare. Respondit obediendum esse mihi, aliter faceret, ut nullius rei possem in posterum recordari. Quod oraculum per episcopum ẽdidit Perusinum. Hæc, siue ipse per se cogitans, siue per alium suggesta sibi fuerint, nescio. His minis, & maximè carcere atq; uinculis, quib⁹ me adflixit, perterritus, illico Neapolim uersus abij: ubi Alfonsus rex Aragonũ, & utriusq; Siciliæ inclytus, tam uerbis, quàm rebus humanissimè (q̃d innatum sibi est) me suscepit. Longior fui, ut innati mihi quodãmodo quasi tanti exi-

lij

lij, uel, ut uerius dicam, exiliorum cauſam in figura quæramus. Nec enim ſic aſſiduè, imò continuè, nulla culpa ſui, uexari aliũde ꝓcedere poteſt: iniuria tamẽ ingratitudoq; qua uſq; ad laborꝫ meorum translationẽ, & nunc maximè, & ſæpè aliàs ueni, à ſitu Solis & Martis habetur. Sed errores uanos atque multiplices quid facit? qd à patria tam diu inuitum repulit, ũt nunc redire pudeat? quoniam quaſi in aliena redirem? Neminẽ Aſtrologum latet, ex alienatione Planetarum, qui aſcendentis uel totius genituræ dominantur, ab ipſo aſcendente id accidere ſolere. Sed primùm ☉ totius genituræ dominus, quia in triplicitatione exaltatione'que ſua conſtitutus in cardine penè, ſub terra cum ♄, qui aſcendentis in oppoſitione dominus fuit, quamuis ex quarto reſpicit, tamen ſignum primæ domus ex latere ſiniſtro ♄ domum aſcendentis poſſidet, & ſextili parte. fuit enim in 20 gradu ♌ irradiatione platicè complectitur. ♀ & ☽ triplicitatis domini ex ſiniſtro latere, altera triangulares, altera ſextiles, & fere partiliter in gradum aſcendentem radios mittit. ♂ exaltatur in ♑. Sed ipſe ♀q; ſicuti & ☉ ex quar-

to partiliter penè irradiat gradum aſcẽdentem. Nullus ergò Planeta, qui dignitatẽ habet in prima domo, errores hos, aut ſi cui ſic appellare placet, exilia, qbus coactꝰ ſum nouam ſemper cum uxore atq; liberis quærere patriam, hæc operat. Et tamen omnes pene operantur. Nam ubi hanc operationẽ non habent per ſe, ibi habent per antiſcia eorum graduum, ubi conſtituti ſunt. Nam ☿ ex 7 ♉. in 25 ♌ gradum ☿. placet enim etiam hunc accipere, quia in cardine, & qa ☉ ei uirtutem tribuit ſuam. Et quia ♊ principium in ♂ immediatè tranſacta erat in horoſcopo ex 27 ♈. in 5 ♍. ☉ in 7. ♂ ex 10 ♈. in 20 eiuſdẽ ſigni ♍ gradum mittebat antiſcium. ☿ igitur ☿. ☉ in domum 8. quæ cadit, auerſaq; ab aſcendẽte eſt, antiſcia collocata omnia, quæ diximus, & quidẽ cum periculo portendebant. Domus enim 8. & uitam in alienis ſtatuit, & periculum ſignifi uit, domus enim mortis eſt. Sed antiſcium ☿ partiliter radiatur à ☽ aſpectu benigno, Mercurij à Ioue □ aſpectu, & ☽ à ☿ partiliter. hæ radiationem & pericula repellunt, & iniuria uexandi oſtendunt: & ad meliora ſemper aduenturum ſignificant. ♂ antiſcium

ſcium in 20 ♍ gradum mittitur in locum 9. qui & ſi ab aſcendente auerſus nõ ſit, propriè tamen ſic itinera profectionesq; denotat, ſicut locus 8. uitam in alienis minat huius antiſcij gradum ex ſiniſtro latere partiliter Saturnum percuſſit & ♀ ſimiliter, quod nulla re alia, quàm inuidia & prauitate Saturnina huiuſmodi exilia imminere nato ſignificat. Saturninas quoq; calamitates hoc hoc ipſum minatur, Martiales etiam immi nere propter antiſcium ♂, & maximè, quia nulla fauorabili ratione antiſcia hæc iuuantur, & à Saturno, ut diximus, alterum ſextiliter, alterum quarto aſpectu opponuntur. Ratio tamen & prouidentia horum diuinitus conceſſa, & ſi non omnino hæc euitauit, lenijt tamen, & in melius atq; glorioſius calamitates hucuſq; conuertit. Et ſicuti ♃ & ♀ ad melius caſuras fugas & exilia ſignificant: ſic ♄ & ♂ peiora minantur, quæ Deus auertat. Ita igitur rem, quæ totam uitam meam complexa eſt, ad quã nihil meũ attulit iudiciũ, & uoluntas: imò contrà quãtum potui reluctatus ſum, ſtellæ fecerunt. Non quòd hanc operationem in locis, ubi ſunt, aut quibus dominantur, habeant, nullã

enim ibi huiusmodi possident, fecerunt tamen, quia sæpenumero Planetæ operãtur in eo loco, ubi operationẽ nõ habent: ubiq; certè habẽt operationem aliquam, & ubiq; aliquam non habent. In hac figura, in locis ubi sunt, & quibus dominantur, contrà potiùs operãtur. Nam cùm ab omnibus ascendens irradietur, in patriam iacturam ostendunt. Non habent gradũ contrariũ, quę est repulsio à locis uel natione propriis, uel usu appropriatis. Cùm ergò ibi non habeant, unde ipsam Astrologus prouidebit? Ab antiscis certè. nam antiscia, quoniam similes gradus sunt, eiusdẽ penè complexionis atque naturæ inueniuntur. Vnde fit, ut quam non habet Planeta in uno, ubi est antiscio, eam habeat plerunq; in altero, secundũ naturæ situm, Planetarumq; irradiationes.

FINIS.

CVR ASTROLOGORUM iudicia ut plurimùm sint falsa.

NVNC aperiturus rationem, quare temporibus nostris Astrologorum iudicia falsa ut plurimum, atq; inania reperiuntur, ut hanc quisq; quã uiam in inueniendis erraticarum stellarum locis fixisq; collocandis, ac deniq; tota figura themateq; ordinando sequi debeat, faciliùs percipiat de duobus diuersis uniuersi motibus, hoc est, de globis duorum diuersorum motuum, primùm mihi breuiter disserendum esse uideo. Duos Ptolemæus apparẽtium necessitatẽ secutus, motus ponit. Alterum ab ortu ad occasum, alterũ ab occasu ad ortum. Multi tamen ante Hiparchũ unum esse solùm, modò ab ortu ad occasum adserentes motum. Erraticas stellas, quoniam tardiùs mouentur, atq; ideò à motu primo relinquãtur uideri quidem ad ortu ferri propter relictionem, quæ tarditate sua efficitur. Sed tamẽ ad occasum ipsas ꝙq; proprio motu moueri putauerunt, quã po-

sitionem,eô duntaxat, quòd latitudines seruari per eam non possunt. Et Ptolemęus in 8.primi Magnæ compositionis cap.eiecit: &nos in commẽtarijs latiùs exibilauimus: sensu enim etiã ipso falsa esse cernitur. Nam si Lunam præcedere ad aliquam fixam obseruabis sequẽti nocte aut propinquiorem ex eadem parte ipsi fixæ, quàm antea uidebis,aut transgressam iam & propinquiorem ortui cernes,quod fieri motu relictionis minimè potest. E contrà enim si occasui præcedente nocte propinquior Luna fuerit, q̃ fixa, multò magis propinquior futura esset eidem occasui nocte sequẽti, si ad occasum proprio motu moueretur. Vndè miror,cur Leo Iudæus hanc opinionem secutus, multa euomere in Ptolemæum,& ueritatẽ tam apertam,non erubuit. Duo igitur,ut diximus,diuersi motus in genere sunt,ab occasu ad ortum,&erraticarum stellarum apparenter & fixarum,sicut longo propter tarditatem motus tempore collectũ est. Ab ortũ ad occasum, primi globi, q uelocissimus est,& primus omnium. Quare ferri quidẽ cuncta in occasum collecta cernuntur,non raptu autem,sicut uulgò dicitur. Nulla em̃

uiolen

uiolenta uis corporibus perpetuis atq; incorruptibilib. inferri natura poteſt, ſed ueluti pars ſuum ſequitur totum, perficiturq; ſequendo, ſicut qui manus retro proijciens, uelociter ad anteriora fertur: ita motus partis non retardat totius motum, ſed iuuat & fouet præterea, q̃d natura continetur, eiuſdemq; ſubſtantia cum continẽte eſt: id continentis motum nõ ui, ſed natura ſequitur. Globi autem erraticarum huiuſmodi ſunt. Natura ergò, non raptu primum motum ſequuntur. Nam ſi præter naturam traherentur, non eſſent perpetui. Quod enim motu alieno præter naturam diſtrahitur, id corruptibile eſſe neceſſe eſt. Hæc cùm ita ſe habeant, fixas Ptolemæum & ueritatem ſecuti, non quaſi ligatas, hoc eſt immobiles motu proprio: ſed in ſphæra ſua ad ortum ab occaſu: ſphæram uerò ſuã nullo pacto ad ortum, ſed ſolummodo ab occaſu moueri ad firmamus. Quam rem non uerbis magis, q̃ rebus ſic ſe habere Ptolemęus demonſtrat. non em̃ poteſt moueri globus, quin omnia quæ in ipſo ſunt, moueantur. Sed æquinoctialia puncta, ubi circulus, qui per mediũ ſignorum curſu Solis deſcribitur, ab æqui-

noctia

noctialibus secat. Et solsticialia, ubi idē circulus tropicos tangit, nullo modo ad ortū feruntur: sed motu totius solummodo ad occasum. nec globus ergò & sphæra, in qua ipsi circuli describuntur, ad ortum ferri ullo pacto potest. Quòd autem puncta, quæ diximus, nequaquam ad ortum feruntur, primùm Ptolemæus in primo libri tertij Compositionis cap. cùm de magnitudine annui temporis tractet, multis modis subostendit. Nam cùm restitutionem Solis ad idem punctum omnes annuum esse spaciū consentiant, nec erraticas, nec fixas, quoniā ipse quoq;, quāuis tardissimè moueri comprobantur: sed solsticialia, uel æquinoctialia puncta capiunda censet, ut annuum tempus sit ab eodē immobili puncto ad idem Solis restitutio, quod re quoq; ipsa ostēdit. Ab æquinoctio enim uernali principium anni ipse instituit. Sed uerba quoq; ipsius audiamus. In præsenti autem consideratione (inquit) nihil aliud respiciendum, ut annuū Solis tempus inueniatur, putamus, q̄ ipsius Solis ad seipsum, id est, ad obliquum à se ipso factum circulum restitutionem. definiendum enim tempus annuum est, quo ab

aliquo

aliquo immobili huius circuli puncto ad ſequentia Sol motus, ad idē redijt. Ab aliquo, ait, immobili huis circuli puncto. Puncta uerò in linea ſiue recta, ſiue circulari, non poſſunt eſſe immobilia, niſi linea quoque immobilis ſit: nec turbetur quiſpiam, quaſi ſequatur, immobilia quoq; in eodem eſſe puncta circulo, quoniam non mobile, ſed immobile punctum capiundum eſſe oſtendit. id enim ad excludendos errores eorum dixit, qui aut erraticas, aut fixas ſtellas capientes reſtitutionem ☉ ad eaſdē conſiderabant, quas moueri omnes ad ortum longa temporum reuolutione certiſſimum iam factum eſt. Ex initio ergò tertij libri Compoſitionis, primùm, deinde ex 2 & 3 ſeptimi cap. propoſitum patet. Ibi enim multis uarijśq; obſeruationibus aperitur fixarū ſtellarum motum per latitudinem quidem, nullum eſſe, per longitudinem uerò unius proximè gradus 12 annis centum, id nō alia ratione oſtendit. nec enim aliter demonſtrari, aut percipi poteſt, quàm acceſſu & remotione ipſarum à ſolſtitialibus & æquinoctialibus punctis ad ea ipſa: ut ſi cœperimus aliquam fixam, ſicuti 5 grad. procanē, quæ

erat

erat primo Antonini anno, in quo tabulæ Ptolemæo confectæ sunt, in grad. Geminorum 29.30. nũc est in gradu Cancri 13 proximè. Anni enim à Ptolemæo in nos sunt, 1330. circiter inuenietur, quam tunc præcedebat, modo sequi solstitiũ æstiuale, & quãtò recedit magis ab eo, tantò magis accedere ad autumnale æquinoctium. Similis in fixis omnibus ratio inuenitur: quare perspicuum est, non fixas, & quasi ligatas circumduci: sed sicut Planetas in orbibus suis, sic has in globo suo moueri ad ortum, cùm tamen globus ipse ac sphæra sua nequaquam ad ortum moueatur. nam si moueret, puncta etiam æquinoctialia & solstitialia, quæ in ipsa capiuntur, similiter certè mouentur. Non mouẽtur autem, nec globus, ergò nec sphæra fixarum ad ortum ullo modo mouetur. At ipse Ptolemęus (dicet fortasse aliquis) apertè dicit, sphæram ipsarum ad ortũ moueri: nam secundùm septimi libri caput sic ab eo, & quidem se ipso interprete inscribitur. Quòd non erraticarũ etiam sphęra motu quodam ad successionem signorũ progreditur, & tertium, quòd in polis circuli, qui per medium signorum est, ad succes-

sionem

sionem sphęra erraticarum mouetur. Idem uerò est ad ortum & ad succęssionem moueri. Sed hoc dicendi modo utitur, aut ut ostẽdat, omnes stellas non erraticas eundem situm inter se semper habere. Quare cùm ipsæ moueantur, ipsa sphæra moueri uidetur, aut etiam reuerentia priscorum, ac præcipuè Aristotelis, quem plurimi facit, q stellas non erraticas quasi ligatas & fixas in globo suo esse asserit. non erat enim adhuc tempore Aristotelis fixarum motus perspectus: sed primus Hiparchus, sicut primo tertij cap. Ptolemæus testatur, tenuiter, & quasi per coniecturam ex annui spacij magnitudine moueri ad succęssionẽ sphæram fixarum, hoc est, fixas ipsas collegit. unde Ptolemæus eodem dicendi utitur modo: nec tamẽ sphęrã ipsam, sed stellas in sphęra moueri ad ortum intelligit. quod statim incipiens cap. lib. 7 tertium, his uerbis ostendit: Quòd igitur non erraticarum stellarũ sphæra, tamẽ proximè progressum ad succęssionem circuli per medium signorũ facit, sic nobis perspicuum factum est. Quum autẽ quærendus nũc modus progressionis ipsarum sit, hoc est, utrùm in polis æquinoctialis an

lis an zodiaci fiat, &c. progressionis non sphæræ (inquit) sed ipsarum stellarum modus quęrendus, qd reipsa, quasi digito monstratur. Ex modo eñ progressionis ibi adinuento, nõ sphæra, sed stella in sphęra moueri ad ortum demonstrat, quas ob res ad ortum quidem, & Planetarum sphæræ, & ipsi Planetæ, & stellæ non erraticæ in sphęra sua feruntur. Ab ortu autem ad occasum solus globus & stella fixarũ mouetur, quã contentę sub ea sphæræ non ui, sed natura, sicut partes totum sequuntur. Hinc perspicuum est, nõ esse opus nonam ponere sphęram, nec Ptolemæum id unquam uoluisse, sed falsò id uulgò sibi attribui. Ratio certa, qua inducuntur nonam ponere sphæram, inanis est, & uerbis ipsius Ptolemæi refutata. Contendunt enim ideò ponendum esse nonum orbẽ, ut duodecim signa in eo immobiliter capiantur, quæ à Ptolemæo etiã immobiliter capi uidemus. nam si mobiliter caperet, non posset non erraticas quoq; stellas per ipsa moueri, adfirmare, nisi alterum motum ab altero subtraheret, quod nemini unquam in mentem uenit, quia fieri non potest. ęquales enim motus duos, sphę

ræ &

ræ & ſyderum, ad eandem fieri partem nul
la ratione apparentium conſtat. Sed nec in-
æquales hæc inania penitus eſſe, dictis ipſi-
us comprobatur, ut diximus. Nam in ſepti
mo ſecundi libri cap. ſtatim incipiens, ait:
Abutemur autem ſignorum nominibus in
ipſis duodecim obliqui circuli partibus, &
quaſi eorum initia à tropicis æquinoctiali-
busq; punctis capiantur. Sic duodecimam
partem, quæ ab æquinoctio uernali ad to-
tius ſphæræ ſequentia eſt, Arietem primã,
ſecundam Taurum appellabimus. Simili-
terq; deinceps ſecundùm traditum nobis
ſignorum 12 ordinem. 12 ergò ſigna, quę in
tabulis apponuntur, non ſunt noni alicuius
orbis partes, nec ſunt ipſæ formationes ac fi
guræ 12 ſyderum, quę uniformiter mobiles
ſunt: ſed ſtabiles immobilesq; duodecimæ
obliqui circuli æqualiter diuiſi, unde Arie-
tis ſignum ſemper ſecundùm tabulas ab im
mobili puncto uernalis æquinoctij capit
initium. Tauri à puncto primo 31. gradibus
ab eodem æquinoctio Geminorum à pun-
cto ultimo, 60. uel primo 61. idem enim eſt
ab eodem æquinoctio Cancri ab ipſo ęſti-
ualis ſolſtitij puncto immobili: & deinceps

eodem modo, atq; immobiliter hęc omnia illi patebunt apertius, qui ſeptimum magnę Compoſitionis librum rectè intellexerit. Liquido enim ibi habetur, fixas, quę prope ſolſtitialia & æquinoctialia puncta erāt, ante Ptolemæũ ad præcedentia, id eſt, ad occaſum, eas temporibus ipſius ad ſequētia dictorum fuiſſe punctorum, hoc eſt, ad ortũ reſpectu ipſorum. nos quoq; uidemus remotiores tunc ad præcedentia ſtellas propinquiores nunc eſſe, & propinquiores tũc ad ſequentia, remotiores nunc à dictis punctis inueniri. Vnde patet, puncta quidē hęc orbis octaui, & orbem ipſum minimè moueri ad ortum, ſtellas uerò 8 orbis ſolas ferri ad ortum. Non eſt ergò ponenda nona ſphæra, ut ſigna immobiliter in ea capiant. Et multò minùs, ut totum per eam circunducatur. nam & duodecimæ obliqui circuli partes ab eiſdem punctis immobiliter capiuntur: & ad eas nominibus ſyderum propter commoditatem nominatas, motus erraticarum & fixarum refertur. Et circũductio totius ad occaſum, non nonæ ſphæræ, ſed octauæ circumductio eſt, ſicut apparentiæ oſtendunt. Quare cùm nulla ratione apparen-

parentia cogant, frustrà nona ponitur sphę ra. Duo igitur motus, genere diuersi, à Pto lemæo ponuntur, ut diximus, ad ortum erraticarum stellarrum, & orbium suorum, et non erraticarum in orbe suo, qui est sphęra octaua, hæc sola proprio motu mirabili ue locitate ad occasum conuoluitur, & cæterę ipsam sequuntur, sicut partes totum, & con tenta continens. Duodecim uerò signa immobilia, ad quę motus ad ortum omnes fe runtur, 12 partes obliqui circuli sunt, nominibus syderum nominatæ, ut commodiùs, distinctiùs, ac certo nomine quæq; duodecima designetur. Hinc errorem non paruũ uulgò apud Astrologos in iudicando com mitti, & antea semper ipse putaui, & posteaq̃ magnæ Compositionis Ptole. libros euolui, certior factus sum: iudicia enim partim erraticarũ natura & aspectibus, partim potestate domorum ac totius positione, partim natura & efficientia, 12 syderum maximè percipiuntur. Hæc ultima pars iam tota confusa, imò penitus sublata mihi uidetur. Nam si (uerbi gratia) in tempore dato figura constituitur, erraticæq; stellæ nonnullæ coniungi in 2 secundùm tabulas gradu V.

inueniantur, uideo ex natura syderis, quod ♈ appellamus, iudicium ab omnibus fieri, quod longè abest à ueritate. Secundùm enim ♈ gradum in tabulis illum dicimus, qui est secundus ab æquinoctio uernali. similiter 10 ♉ appellatur in tabulis, qui est 40 ab eodē æquinoctio ad successionem, & 50 à solstitio æstiuali ad præcedentia, & sic de cæteris. Qui gradus omnes stabiles, ac omnino immobiles sunt, sicut & æquinoctialia atq; solstitialia puncta, unde initium sumunt, & à quibus semper æqualiter distant. Sydera uerò, quæ in iudicijs accipiuntur, id est, signa 12. in centum annis secundùm Ptolemæum gradu mouentur uno ad ortum. Non est ergò possibile, ut initia signorum huiusmodi, hoc est, syderum atq; constellationū in eisdem semper punctis inueniant. Quare, & si eisdem nominibus utimur: tamē in tabulis quidem 30 graduum immobile spatium signum est, in iudicando autē signum est constellatio & figura syderis mobilis. Nam in iudicijs stellæ quoq; fixæ, & maximè quæ in zodiaco sunt, quæ à uertice capitis ferè orbem terrarum irradiant, capiunt, eas omnes seorsum considerare impossibile est.

le est. Fulgentes ergò & primæ ac secundæ magnitudinis per se capiũtur, etiamsi extra zodiacum sint, nec tamen nimiũ distantes. Efficiẽtia enim ipsarum pro latitudinis magnitudine imminuitur. Cæterarum, quæ in zodiaco sunt natura, quia non parum, ut diximus, propter rectos penè radios in his inferioribus efficiunt, simul tota cuiusq; syderis, quid, qualeq; soleat efficere, considerãt. Quando igitur frigus ne an calorem, siccitatem an humorem Aries aut Taurus, cæteraq; signa indicant, Astrologus quærit: nõ debemus, ut ego arbitror, & rectè, ut puto, stabile, 30 graduum spacium ab æquinoctio uernali pro Ariete, & reliquum usq; ad 60. ab eodem æquinoctio immobile spacium pro Tauro capere: sed constellationem ac figuram Arietis, & similiter Tauri, atq; syderum reliquorum. Hæc cùm mobilia sint, ab alio atq; alio principio in diuersis temporibus necessariò capiũt. Quos orbes q̃m nomina signorũ dupliciter dicunt, pro duo decimis obliqui circuli stabiliter atque immobiliter in tabulis, & pro ipsis syderibus ac constellationibus, quæ mobiles sunt, in iudicãdo oportere putamus, primùm prin-

cipia ſyderum 12 mobilia in aliquo tempore dato apprime tenere : deinde gradum unum in 100 annis, uel plus q̃ unum, prout ſydera moueri, perſpicuum nobis ex longitudine temporis factum eſt, ſubtrahere, donec ad tempus, in quo iudiciũ exercemus, deueniatur. Initia uerò ſyderũ, aut per cognitionem ipſarum figurarum capiemus, aut ex authoritate alicuius tenebimus, primùm quiſq;, prout tempora ferũt, exquirat de altero. Apud Ptolemæũ quidem nihil, quod ego teneam, habetur. Rem tũc omnibus tritam, notamq; prudenter prætermiſit. Vitruuius autem de architectura ſcribens, in poſtremis libris nonnulla de ſyderibus retulit, & inter alia, æquinoctium, ait, uernum temporibus ſuis, in 8 ♈ gradu fuiſſe, Arietem pro ſydere atq; conſtellatione accipiens: is, ut puto, non nimium remotus à temporibus Ptolemęi fuit. Quare quoniã 1330 anni circiter interſunt ad hæc tempora, id eſt, ad annos dñi noſtri Ieſu Chriſti, 1456 gradibus inde 14 ſubtractis, fiet nunc æquinoctium uernale, cùm Sol ſit in 24 gradu conſtellationis Piſcium. Is enim gradus in tanto ſpacio temporis illò proximè peruenit,

nit, ubi tunc erat 6 ♈. ita 6 gradus, secundũ Ptolemæum, interiacent inter æquinoctialia & solstitialia puncta, & initia signorum, qbus denominant̃. hos sex gradus in cæteris oĩbus subtrahamus: ut si Planeta sit in 3 ♉ gradu, secundũ tabulas, 50 longè ab ęquinoctio uernali gradibus 33. ponatur in 27. arietinæ constellationis. Hic enim gradus tunc quidem, 19. gradibus, nunc uerò, 33. succedit ad æquinoctium uernale, secũdùm syderum motum facto progressu. Quare his suppositis, erit nũc uernum æquinoctiũ, Sole in, 24. ut diximus, gradu constellationis ♓ collocato. Autumnale in, 24. ♍. Aestiuale solsticium in, 24. ♊. Hyemale in, 24. ♐, si syderum gradus ad ipsa puncta, quæ diximus, iam peruenerunt. Quòd si qs fortè putaret, non esse hac subtractione opus, præuidisse em̃ iam Tabularios hoc, emendasseq́ꝫ, quoniam nõ erraticarum motũ erraticarum motui adijciunt: is sciat calculum quidem illum propter motum maximarũ longitudinum ita fieri, unde & ante æquationem adhibetur. quod uerò nos dicimus, ueris Planetarum motibus subtrahendum est. Et illud in Planetis solùm, hoc etiam in

diſpoſitione figuræ ac ordine thematũ non negligendum. Hæc una & maxima eſt cauſa, ut ego arbitror, cur in noſtris temporibus ideò aberrant Aſtrologi, ut ne tem porum quidem qualitates, quæ res tota à ſuperioribus dependet corporibus, rectè prædicere queant. Quare, diligenter qs gradus, cui correſpondeat, conſiderari oportet tam in collocandis in loco ſuo Planetis, q̃ in ordinanda figura. Nam ſi ſecundùm tabulas, 5. Cancri gradus, id eſt, quintus à ſolſtitio æſtiuali (uerbi cauſa) inuenitur aſcendere: 6. hinc ſubtractis, aſcendit, 29. II gradus, qui ſimiliter eſt quintus à, 24. conſtellationis Geminorum, ubi nunc æſtiuale ſolſtitium ſecundùm prę ſuppoſita fieri cognoſcitur. ita 6. gradus ſubtrahentes, per totam uitam propter tarditatẽ motus proximi ueritati erimus, quãuis ipſe non dubito, nonnihil priſcos etiam propter inęqualitates ſyderum addidiſſe, ſubtraxiſſeue. Conſtat em 12. ſignorum conſtellationes nõ eſſe ad unguem ęqualis longitudinis: ſed alias 30. gradibus paulò maiores, alias paulò minores. Id ſi quis dignum cura putabit, tum obſeruationum apparẽtium, tum authoritate eorum,

rum, qui hac de re ſcripſerunt, diligenter ſcrutetur. Hæc igitur una & maxima peruerſè iudicandi cauſa eſt. Altera uerò, nec ipſa contemnenda, ex neglecta ſtellarum Planetarum'que latitudine conſurgit. nam latitudo hæc, ſicut quando in meridiano, uel propè Planetæ reperiuntur, nullam facit uarietatem: quod Ptolemæus innuere uidetur: ſic quum iuxta finalem circulum, id eſt, Græcè orizontem reperiuntur, tantam differentiam conflat, ut ab horoſcopo, id eſt, à prima domo, ad duodecimam, & è contrà in ſeptimam: & contra propter latitudinem poſſint transferri Planetæ. Borealiores enim ſtellæ citiùs nobis oriuntur, & tardiùs occidunt. Auſtraliores contrà tardiùs oriuntur, & citiùs occidunt. Ita propter latitudinem fit, ut Planeta, quāuis Soli coniungatur: tamen ſi ſit borealior, ante Solem oriatur, & poſt Solem occidat. ſi auſtralior, è cōtrà poſtea oriatur, & antea occidat. Hęc differentia maxima, ut diximus, fit in horizonte, nulla in meridiano. In intermedijs uerò locis maior minorúe, prout ab horizonte ſtella recedit, & ad meridianum accedit: aut contrà, recedit à meridiano, & ad

horizontem accedit. Id tamen incrementũ decrementũq; differentię huius non fit proportionaliter. Nam si æquales arcus, utputa 20 graduum, alterum ab horizonte, alterum à meridiano accipies: multò maius erit incrementum decremẽtumq; arcus, quo stella ad horizontẽ accedit, aut recedit, quàm quo ad meridianum. Quòd autem australiores stellę posteriùs oriuntur, & priùs occidunt, borealeores contrà: tum Ptolem. in calce totius Compositionis demonstrat, tum sensus ipse, ut latiùs nobis super eum locum dictum est, apertissimè ostendit. Venus quidem ibi demonstratur, quãdo paulò magis, quàm sex gradibus Sole borealior est, 24. solummodo unius gradus sexagesimis, à Sole secũdùm longitudinem, remoto ortu matutino, apparere. Ita fit ut propter latitudinẽ borealem sex graduum, 40 penè unius horæ sexagesimis, ut ex apparitionum tabulis facilè intelligit, ante Solem oriatur: quamuis in eodem cum ipso secundùm longitudinem gradu sit. Quas ob res, Sole oriente, non erit ipsa in gradu ascendente tunc collocanda: sed in domo duodecima, quæ res quantam efficientis causæ

faciat

faciat differentiam, quis non uiderit? Sensu ipso uidemus, quid Luna terras irradians, faciat, quæ non irradians, quando sub terra est, facere non potest. Hæc si opposita Soli est, siquidem borealissima est, duobus ferè tertijs horæ unius (quinq; nanq; graduum maxima eius latitudo est) ante occasum Solis orietur: & similiter post Solis ortum occidet. Sin uerò australissima, è contrà, ut diximus. Quis ergò adeò erit imprudens, simul atq; impudens, ut audeat dicere, idem semper cæteris, ut dicitur, paribus Lunam efficere, siue super terram, siue sub terra sit? Nihil enim aliud hoc est, quàm nullam differentiam facere, utrùm in prima domo, an in duodecima Luna sit? Nisi fortè aliqs contendat, quamuis in duodecima nobis borealissima sit, australibus tamen habitationibus, & sub æquinoctiali in prima esse. Quòd si quis putabit in iudicijs sequẽdum, non erunt per singula climata computationes erraticarum stellarum faciendæ: sed una sola, & simplex sub æquinoctiali facta computatio, in omnibus declinationibus iudicandi rectè potestatem dabit: quod penitus absurdum est. Adde, quòd si hęc differen-

ferentia latitudinis in Planetis collocandis repudiatur, non erit ratio, cur ex differentia latitudinis atque declinationis locorum uarietas aſcendentium graduum fiat. Stultum enim omnino erit, aſcendẽtem putare gradum præ diuerſitate latitudinis mutari, & orientes ſtellas credere non mutari. Sed ambiget forſan aliquis, ſi coniunctio duarum ſtellarum in gradu aſcendente (uerbi gratia) ſecundùm longitudinem inuenitur, & diuerſitas latitudinis faciat, ut altera in duodecima, altera in aſcendente platicè collocanda eſſe uideatur, quid Aſtrologus debet in iudicando ſequi? non dubito, quin coniunctionis gradum, quantum ad effectus, qui uim coniunctionis ſequuntur. Latitudo enim maximè diuerſa minuit coniunctionis effectus non uariat. Quod aũt nos dicim⁹, uarietate latitudinis uariari, nõ uim coniunctionis, ſed domorũ conſequitur. Quare, ſi ex uarietate locorum figuræ aliquid aut minuitur, aut augetur, aut mutatur, totũ id effectibus coniunctionis prudẽter accommodandũ eſſe putamus. ita ut nec potẽtioris dignitas negligat, nec commoda miſcẽdi ratio quaſi uana prætereat.

FINIS.

DIALOGVS PON

TANI.

FRANCISCVS PVDERICVS, PARDVS.

QVID ni mihi cum Astrologis bellum sit Parde? cùm Iouianum hunc uideam, q tam multa scripsit de syderibus? Sæpenumero illis irasci, nec omnino satis bene de illorum dictis sentire atq; enunciatis: cùm tamẽ disciplinæ sit eius ipse mirificè studiosus. Quanquam, ut mihi semper uisus est, nõ ut Ioannes Picus in disciplinam ipsam armis equisq;, quod dicit, irrumpit: cùm illam tueatur, ut cognitu maximè dignam, ac penè diuinam: sed Astrologos quosdam, ut parùm cautos, minimeque prudentes insectatur ac ridet. PARD. Non temerè hoc quidem Puderice. Quid enim magis siue absurdum, siue temerariũ, quàm quod coniecturis præcipuè constet, id necessarium esse uelle? Quum enim cœli syderumq; agitationes inferiora hæc (quod liqui-

liquidò apparet) citatu moderentur ſuo: nequaquam tamen quæ ab illis innuuntur, iiſdem numeris, eadem quoq;, qua portendũtur uia, ubiq; eueniunt, quòd res ipſę inferiores, ſuperioribus illis cauſis, aut non omni è parte adſentiantur, aut repugnent. PVDER. Sunt igitur cauſæ illæ agentes ac primæ: hę uerò patientes ac ſecundæ. PAR. Nimirum ſunt. nam nec calor ipſe Solis ubiq; eſt ęqualis, nec terrarum ſitus idem, ac par omniũ. Quod q; ad communium res ſpectat, uoluntates ipſæ noſtræ, dum imperare uelimus ſenſibus, liberę quidem ſunt, ſyderalibus q; agitationibus aliquantò ualidiores. Quod quonam modo fiat, id ſi aperuerim, non indignum conuentu iſto uideatur. Quatuor hæc corpora, quæ q; alio nomine ſunt elementa, materiam q; generationi ſuggerunt, uel ipſa eadem potiùs ſunt materia, quatuor quidem humores ſubminiſtrant: è quibus hęc conſtant omnia. Hi pro motu quidẽ Solis Lunæ q;, ac utriuſque habitu, ne de aliis nunc loquamur ſtellis, in aſſiduo ubiq; ſunt aut incremento, aut imminutione. Qua è re generatio cietur atq; corruptio: exinde q; in eodem nunquam perſiſtunt ſtatu. quãdo et

Solis

Solis & Lunæ mutationes ipſi quoq; imitentur: ac Luna ipſa continenter penè fluctuet: Sol uerò erraticis cum ſtellis nunc ſit ipſe propior, nunc contrà remotior ab regionibus, quas incolimus. quibus è rebus et incremẽta ſequuntur humorũ qualitatũq;, & item imminutiones. Has ad res permultum etiam regionum conferunt tum ſitus, tum habitus: cùm Apulia, Libya, Aegyptus aptior ſit calori ſiccitatiq; augendæ, quàm aut Germania, aut Gallia: hæ uerò, quàm illæ frigori atq; humectationi. Ad hæc terrarum aliq; non multam quidem hominũ exigant aut operam, aut induſtriã in re frumentaria procuranda. Aliæ contrà ſuapte natura parùm ſint feraces. Quid, quòd habitus ipſe locorum alibi obtuſiora gignit ingenia, alibi magis acuta? eadẽq; uerſutiora? Quo fit, ut tam multq; quoq; rerum earundẽ ſint uarietates: quod in ſaporibus potiſſimum ac ſuccis oſtenditur, itemq; in animalibus, ſiue feris, ſiue altilibus: ac tum in celeritate eorum, tum etiam in ſtatura & robore. ut humores hi ipſi nõ ſolùm agitationes ſequantur ſtellarum ac cœli: uerùm etiam agrorũ naturas, ac regionum tum ſitum, tum habi

tum.

tum. Quod cùm ita ſit, ne ſtellarum quidē effectiones ubique aut eędem, aut pares eſſe poſſunt. Quæ qui Aſtrologus probè conſiderauerit, uix ille longiùs aberrauerit à prognoſticorum cœleſtiū ſignificationibus ue rè pronunciandis: quouſq; tamen coniectura ſeſe ipſa tutò conferre poterit. Hæc igitur ipſa, quum tantopere inter ſe diſſentiant, ac tam ſint, quàm profectò ſunt, cognitu difficilia: nata eſt hinc obſeruatio, cuius proprium eſt intueri, quæ appareant ſigna, eaq; animaduerſa, multumq; retenta in mente, quid tandem adferant, expectare: indeque à reipſa prognoſtica dicta ſunt. Non tamen ut ſemper quæ promittere uideantur, præſtent: ſed quòd plerunque tantùm, cùm & Medici & nautę, ipſi quoq; agricolę in curationibus ægritudinibusq;, item in pluuijs aut ſerenitatibus, frugūq; prouentu, aut huberiore, aut modico, non rarò ſe à ſignis obſeruationeq; deceptos querantur. Minus ut mirum uideri debeat, Aſtrologi quoque ſi fallantur, cùm ipſæ aliquando cauſæ inuicē ſe oppugnent, actionesq; ac paſſiones inter ſeſe, ut dictum eſt, non uno modo diſſentiant. Tertio antè anno ager Campanus labo

rauit

rauit plus ſolito æſtiuis pluuijs: eodem tamen tempore in agro Brutio ac Cotronienſi de nimia ſiccitate atque æſtu uineę exaruêre. Hinc igitur uanæ Mathematicorum prædictiones, quòd ad ea, quæ portendi uidentur à ſtellis, non omnes conueniant ſimul cauſæ, permultaq; eos lateant, quemadmodum & medicos. Et hi quidē fruſtrà haberi ſolent, non ſolùm propter naturā morbi, humoꝝq; parùm cognitam, uerùm etiā ægrotantium & regionis, aëriſq; ipſius ob alias cauſas atq; alias: ac tum uentorū, tum exalationū. Illi uerò propter incognitas ſtellarum ipſarū miſturas, aut quod in id tempus incidant ſignificationes aliquarum, ſiue copulationum, ſiue eclipſium, aut cometarum, multis antè annis eas portendentium, quæ parùm quidem obſeruatæ fuerint. Interdum quòd regio ipſa perniciosis à uētis aut uexetur, aut à ſalubribus defendatur, plusq; uenti ad prohibendū ualeant, quàm ad nocendum hoſtilis ſtellarum irradiatio. An non Hetruriæ maritima pleraque peſtilens eſt ora, propter paludes halitusq; malignos ab ijs afflatos, auraſq; illos agitātes? cū collinę eius regiones ſint q̄ ſaluberrimę?

Itaq; & in locis illis paluſtrib. ſalutiferę ſtellarum cõfigurationes parùm prodeſſe per æſtatem poterunt, & collinæ ſalubritati nõ adeò malignę nocebunt ac peſtilentes. Patrij quoque mores, conſuetudines q; municipales artes, atque inſtituta q; tum publica, tum domeſtica, multùm in utranq; partem conferunt ſyderalibus configurationibus. Quid, quod rerum certa cognitio, ea q; quæ ſcientia dicitur, generalibus uerſatur in perſcrutationibus? Quis igitur humorũ, è quibus cõſtamus, ſingulares adſequi poſſit, ſiue commiſtiones, ſiue temperaturas? Quis rurſus ſyderũ particulares uires, quæ tum abſtruſiſſimæ ſunt, tum penè etiam infinitæ? Quis item aduerſantium inter ſe cauſarum digladiationes particulatim cognitas & obſeruatas habeat, & quantũ, & quouſque? Itaq; illi ipſi, qui ad particulares dilabuntur prædictiones, ab ipſo etiam Ptolemæo habentur deriſui. cùm neceſſe ſit eos q; coniecturas obſeruationes q; hac in parte uacillare: ipſos q; non ſolùm deerrare è uia, uerùm turpiſſimè dilabi, de q; ueſtigio ruere. Vides igitur Puderice, tam multi unde Mathematicorũ proficiſcantur errores? con

iectu-

iecturæq; tam fallaces, ut iure quidem irasci illis & possis, & debeas: in pestilentijs prędicendis, itemq; in sterilitatibus, tempestatibus, abluuionibus, atque euentis alijs. Veniamus nunc ad hominum uoluntates, quibus si sese ipsę sensibus dominandas permiserint, nihil est fluxius, imbellius, addā etiā infractius, domabiliusq;. Contrà, nihil q̄d sit illis generosius, robustius, imperiosiusque, ubi sensus ipsos, eorumq; illectamenta nihili fecerimus, miserimusq; sub iugum. Vendidit M. Cato confectum iam senio equum, qui cùm ipse, siue consul, siue prætor militauerat, Marcus, inquam, Cato optimus sui temporis orator, senator, imperator, sic enim est habitus. Cur uendidit? quia uoluit: qa plus apud eum attenuatissima illa ualuit parsimoniæ cura, quàm ratio, & senatore, & oratore, & imperatore tam ualidè etiam spectato digna. Quodq; usurpare esset solitus, bonum patremfamiliàs uendacem esse oportere magis, quàm emacem, uoluit etiam in re sua pręceptum id pertinacissimè tenere. At coactus est ad hoc ipsum ab natalitia cœli stellarumq; configuratione. O cœlum auariſſimum, ô stellas tam at-

tenuatè ac sordẽter parcas: quæ in hoc tam attentę essent, tantopere peruicaces. Potuit procul dubio cœli stellarumq; configuratio Catonem facere ad parsimoniam propensiorem, propter humorũ, è quibus constaret, compactionem: non tamen, ut cum summa & senatorum, & ciuium Rhomanorum, siue accusatiõe, siue irrisione, militarẽ uel consularẽ potiùs equum, uilissimo etiã precio captus uenderet: ac si equus ille nascente Catone, sollicitas stellas sua etiam de uenditione fecerit. Ptolemæus Aegypti rex sororem suam duxit uxorem, impulsus uidelicet expugnatusq; natalis cœli ac stellarum themate. O prophanum cœlum cum themate etiam tam impuro & coinquinato: in quo tam immanis reposita esset libido. quis uel summè etiam improbus ac peruicax adseuerare hoc audeat? Etenim configurationes illæ intemperantiam tantùm portendũt humorum, ac concretionis corporeæ, atq; in re quidem Venerea. Detur etiã & in sororea coniunctione. An nõ felicissimus ipse rex ac potentissimus, poterat q̃d quidem noluit, sororem suam alĳo care in matrimonio, ipse aliam sibi ducere?

At

At Medici uel modicis adhibitis medicamẽtis, humorẽ, q nimius ſit, temperãt, cogũtq́ue ſub regulam: q minimus atq; attenuatus, eum & exuſcitant & attollunt. Tu uerò, rex eximie, minimè potuiſti nefariã iſtã libidinem continere: quod uidelicet noluiſti. Patrauit igitur ſcelus hoc, qa uoluit. nam ſi noluiſſet, qua diximus uia, euitare illud omnino poterat. Quod ut patraret, credibile eſt, multas uariasq́; in hac re cogitationes conſumpſiſſe. ſed paſſus eſt tandem à libidine ſeſe uinci. At apud Perſas eiuſmodi matrimonia erant & uſitata, & conceſſa: ſecutusq́; eſt finitimæ gentis exempla. Nam qua promptitudine ſecutus ipſe Perſas eſt? Cur non Macedones ſecutus eſt ſuos? laudatiſſimosq́; Macedonũ reges? Nequaquam aũt ſecutus eſt, quia noluit, quia imperari maluit ſibi à libidine, quàm ipſe libidini imperare. I nunc, & cœlum incuſa, & ſtellas, & nefarias ſtellarum configurationes. Tempeſtate hac noſtra, qui apud rêges regulosq́ue magiſtri fuêre epiſtolarum, utq; hodie dicuntur, ſecretarij, ſummum in modũ locupletati ſunt omnes, præter Iouianum hunc, qui adeſt; quam ad rem ab amicis fa-

miliaribusq; assiduè cohortatus cùm esset, nunquam à proposito dimoueri potuit: illud in ore semper habens, Egere nolo: opulentus esse recuso. qua ratione nõ modò cupiditati imperauit, pecuniarumq; appetitioni: uerùm ipsis etiam regibus in Repub. moderanda: quam animi firmitatem his ipsis etiam diebus ostendit. Quum enim capto regno Neopolitano, Ludouici Galliarum rẽgis prẽfectus magistratum ei offerret, quô è reditu eius senectutem opulentiorem duceret: at, inquit, non opulentiorem eam feceris, uerùm occupatiorem: quando dijs iuuantibus nullius honestæ rei indigeo. Voluntas certè hęc fuit ratione temperata: eaq; cupiditatum uictrix, ac sensuum titillantiũ. Nero Augustus singulari fuit crudelitate nobilitatus. quis sanæ tamen mentis inficietur, in procreando Nerone seminis humorumq; temperaturã, è qua fotus ipse & concretus est, apprimè malignam fuisse? stellasq; ipsas eam ad rem adiumenti plurimũ contulisse: ut suapte natura Nero procliuis esset atq; incitus ad sæuitiam. Fuere igitur huius rei causæ tum natura ipsa, è qua Nero constitit, quòd malè esset fermẽtata, tum

stellarum

ſtellarum malus habitus, peruerſaq; configuratio, quæ aut humorem ſecuta eſt, malignum illum quidem atq; peruerſè affectū, aut cum malignitate ac deprauatione adfecit ſua. Eſto, detur hoc quidem. At inuenire noua ſuppliciorum genera, inuſitata que excogitare tormenta, & cum artifice conuenire, qua uia nauicula maternum ad naufragium opportunè ſtrueretur: Neronis hoc fuit, ſanguinariæq; eius uoluntatis, non ſtellarum ac cœli. Fuit autem Neronis, quia uoluit. Voluit autem, quòd ab ambitione rapiebatur, qua expugnatus, conculcauit ipſe rationem. Sed deſinam pluribus iam exemplis uti, maximorum etiam uirorum, quorum uoluntates uictæ cupiditatibus, aut ſenſuum captæ illecebris, iêre præcipites. Quo circa his in hunc modum explicatis, quęramus eadem hæc aliquantò etiam exploratius. Principiò, laus omnis uituperatioq; uoluntarijs uerſatur in actionibus, exiſtitq; ab illis. Quum enim natura duce moueamur ad ea cupienda, quæ boni alicuius ſpeciem prę ſe ferāt, eaq; à ſenſibus repręſentent, de quorū titillatione animus ſeſe excitat: non priùs tamen ad ea peragenda, quibus adſe-

cuturum ſeſe illa confidat, animus ipſe expergiſcitur, quàm uoluntas, quo ſuſcitetur: quæ initio quidem ut libera, ac ſui iuris latiùs euagatur: pòſt uerò adhibita ſecum in conſilium ratione, ac frenum ſibi ipſa imponẽs, eo accepto, ſeſe ipſam moderatur, redigitq; intra præſcriptum: mox deliberando eligit, quæ pro facultate ac uiribus ſuis eligenda uideantur: quin, ratione duce, illa ipſa perſcrutatur diligentiùs, perpenditq; maiore cum penſitatione, quę à ſenſib. ſunt oblata, an talia ſint, qualem eorum ſpecies ſeſe offert: ſint, nec ne ipſa utilia & iucunda, an rurſum inutilia & moleſta. Pòſt uerò his perpenſis, & cognitis, euagationeq; illa tam libera ſub frenum coercita, iter ſtatim ingreditur, quò quæ eligenda eſſe duxit, peruenire ad ea poſſit. Iuris itaque atq; arbitrij eius fuit, nec ne uellet ſiue eligere ac perſequi, ſeu nihil omnino curare. Eſt igitur ſuapte natura, ſtatimq; ex quo ſuſcitata eſt, libera. quæ rationem ſi ſequatur, libertatem ubiq; ſuam & tuebitur, & retinebit: ſin relicta ratione, à ſenſibus delinita illis obſequatur, ni mirum amiſſa libertate, captiua ducetur, & quæ imperare ipſa ſibi noluit: imperio ſeruiet

uiet alieno. Est igitur sui iuris ac libera, quo ties sese à sensuum malarumq; cupiditatum ui ac captiuitate tuebitur. Tunc uerò facilè tuebitur, quum excitata inter eam, sensusq; ipsos cõtrouersia, bona'ne sint, an mala, quę à sensibus offerũtur, rationem sequetur, illamq; sibi in auxilium uocabit: cuius etiam consilio utetur ac ductu. An non tibi uoluntas ipsa uideatur libera, quę cum sensibus in certamen descendat? quæq; uictrix omnino euasura sit: præterquam si illorum insidiosis blanditijs capi se patiatur. Demum, quia ad actiones tunc accingimur, cùm uoluntas ipsa & uoluerit, & elegerit, & decreuerit suscipiẽdum aliquod, siue inceptum, siue negocium, meritò actiones ipsæ ad uoluntatem referũtur: quæ si cum ratione progredietur, nimirum ipsæ laudabũtur: è contrà, uituperabuntur, ubi & in eligendo, & in progrediendo de rationis deerrans uia, sensusq; delicijs emollita, cupiditatẽ sequetur ducem, illiusq; inhærebit uestigijs, paueritq; imperio. Non solùm autem res ipsæ actionesq; uoluntatem liberam esse testantur: uerùm etiam nomen ipsum deliberãdi: quòd uidelicet liberum eius sit in decernen

do iudicium, uelit'ne ſuſcipere & proſequi, an contrà, deſiſtere, ac ſenſuũ ipſorum monita labi ſinere. Legum quoq; cõſtitutores, ac moderatores populorũ id ipſum teſtantur, cùm impunita dimittant crimina, quæ furentes admittũt, atq; inſania perciti: quòd uoluntaria ea minimè ſint: nec furentes ipſi liberi aut ſint, aut haberi debeant. Poſtremò autem conſiderandum uidetur, cùm ſenſus corporei ipſi ſint, ſinguliq; corporeis utantur inſtrumentis, ut auribus ad audiẽdum, ut oculis ad uidendum, naribus item ad inodorandum, palato linguaq; ad deguſtandum, ac ſiue manibus, ſiue alia parte corporis ad tangendum, uoluntatem tamẽ ipſam nulla parte corporis uti, nullaq; re corporea, quin aut deliberat, aut eligit, decernitq: quippe cùm uis ea poteſtasq; tantùm ſit animi, atq; ex omnibus animalibus, hominis unius: quo fit, cęterarum quidem ſit, ſiue impetus, ſiue inſtinctus tantummodo: hominis uerò uoluntas propria ac peculiaris. Igitur ſi ſtellarum effectiones uerſantur inferioribus in corporibus, rebusq; illis tantùm quæ ex elementis conſtant: ipſaq; elementa campus quaſi quidam ſit, in quo ſtellę ui

res

res exercent ſuas: quanam uia uoluũtates hominum ſubiectę illarum ſint agitationibus? quarum iuriſdictio tantùm ſit in elementis, rebuſq; elementaribus, animus uerò & incorporeus ipſe ſit, & ab omni prorſus elementari qualitate ac conditione uacuus: cuius uoluntas ipſa uis potiſſima quidem ſit, quæ actiones, ad quas homo natus eſt, uel commendatione honeſtet, uel opprobrio damnet, ac contemptu. Iure igitur Puderice, Mathematicis illis ſuccenſes, qui tam ſint futuras ad prædicendas res proni, hominumq; mores ac fortunas ab ortu ſtatim ipſo pronunciãdas, ac ſi nulla in eis ſit libertas, nullaq; deliberandi, aut eligendi, ſiue ratio, ſiue authoritas: quæ quidem tanta eſt, ut homo ſui iuris ſit in ꝯs adminiſtrãdis omnibus, in quibus animus imperare habeat, nec corporis ei ſit opus miniſterio ac preſidijs. Poſſunt cœleſtes tamẽ configurationes impedimento illis tunc eſſe, ac ſeſe animo ipſi opponere, cùm corporeis atq; externis indigeat auxilijs ac fauoribus. Vbi uerò actiones ſolius tantùm fuerint animi, fruſtrà tũc de ſtellarum actionibus diſputatur, ac ueribus: cũ, ut dixi, animus ipſe liber ſit, ac ſuopte

pte arbitratu eligat decernatq̃. Hæc habui tecum, tuamq̃ in defensionem, quæ, Franciſce, dicerem, longiùs fortaſſe, quàm portio dicendi ferret mea: breuiùs certè, quàm res ipſa exigit. Quam ob rem finem his faciam, ſi priùs tamen hoc ſubdiderim: Hominum illorum numerum oppidò quàm exiguum eſſe, animum qui colant, animiq̃ arbitratu utantur atq̃ imperio: cùm multitudo ferè uniuerſa corpori ſit omnino dedita, corporeisq̃ illecebris, ut fortaſſe mathematicis ipſis permittendum ſit, laxiſſimis etiam habenis currere ad apoteleſmata pronuncianda.

FINIS.

K.K. UNIVERSITÄTS-STERNWARTE WIEN

GEMMA PHRYSIVS

De principiis ASTRONOMIAE ET COSMOGRAPHIAE, DEQVE VSV Globi Cosmographici ab eodem ęditi.

DE Orbis diuisione & Insulis, rebusq; nuper inuentis.

EIVSDEM De Annuli Astronomici vsu.

IOANNIS SCHONERI
De vsu Globi Astriferi opusculum.



ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioan. Steelsii. Anno
M. D. XLVIII.

K.K. UNIVERSITÄTS-STERNWARTE WIEN



CANDIDO LECTORI

GEMMA PHRYSIVS

S. D.

ET si multos præclarosq; autores iamdudum non sine magna omnium laude de Cosmographia deq; aliis id genus artibus scripsisse minime inficias ire possim, non tamen ob hoc candide Lector ὄνος ἐν πιθήκοις vt aiunt erimus, aut arrogantiæ & temeritatis nota digni censebimur, si post tãtos tantæq; industriæ viros, quales fuere Ptolemæus, Strabo, Stephanus, Mela, Plinius & plures etiam nostræ ætatis viri doctissimi, tandem aliquid in lucem ædere tentauerimus, quandoquidem nõ eo sunt à nobis animo incœpta, vt eos æquare ne dicam excellere conemur, quorum ego scripta sarta tecta q; (vt dici solitum est) semper habui. Sed quum indies nouæ terrarum partes lustrentur quarum hii autores non meminerunt nec tamen ideo culpandi, deinde etiam alia atq; alia regionum nomina suboriantur, quod sanè nõ paululum tenebrarum studiosis offundit, demũ quia iam nuper Globum cum summo labore ex autorum veterum descriptionibus & Hispanorũ Lusitanorumq; nauigationibus deliniatum ædiderimus, multosq; qui eius præclarum atque iucundum vsum ignorarent videremus: Hiis inducti rationibus vno quasi fasce non omnia sed præcipua autorũ & veterũ & recẽtium placita de regionũ distinctionibus cõprehendimus, vsumq; nostri globi (Laconismo quodã) explicuimus, ne Lectoribus aut emptoribus Globi nostri id eueniret, qd Gallo gallinaceo apud Æsopũ, aut Graculo cum fidibus vt solet dici. Scio tamẽ futuros, vt suus cuiq; mos est, qui meã breuitatem culpabũt, alios qui omniũ demõstrationes desiderabunt quorũ hic mentionem facio, sed eos triti iamdudum prouerbii meminisse velim, quod dici solet: Vt possumus quando vt volumus non licet. Potuissem equidem diffusissime omnium regionum naturas, vrbes, & minima quæq; ex diuersis autoribus collegisse, variisq; figuris libellum exornasse, verum non tulerunt temporis breuitas & negotiorum impedimenta. Hiis ergo candide Lector (quantulacunq; ea sint) te quietum esse velim donec & temporis ratio & grauior ætas alia suppeditarint, Vale. Ex Antuerpia decimoseptimo Calendarum Octobris Anno M. D. XXX.

Primæ partis de PRINCIPIIS COSMOGRAPHIAE,

CAPVT PRIMVM.



VUm omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debeat à definitione proficiſci, vt lepide ait Cicero officiorum lib. 1. videbimur nõ abs re, definitiones aliquot & diuiſiones eorum quorum ſæpe mẽtionem facturi ſumus (rem in pauca conferentes) præmittere, vt intelligatur id de quo narramus.

Mundus. Mundus igitur eſt cœlũ & quicquid eius ambitu continetur. Eius duæ præcipuæ ſunt partes, Ætherea ac Elementaris. Illa decem orbes continet, quorum ſuperior ex ordine inferiorem ſua peripheria complectitur. Extremus & decimus orbis primum mobile dicitur, id continuo curſu ab ortu in occaſum per meridiem labitur, deinde per ſeptentrionem rurſus ad ortum, quem motum. 24. horarum ſpatio conficit, & ſecum omnes inferiores orbes impetu rapit. Inferiores verò in aduerſum obliquo meatu nituntur, adeò vt qui longiori interuallo ab illo primo diſſideant, ii velociori curſu

Ætherea pars.

curſu motum ſuum aduerſum peragant. Noni enim orbis (qui aliis cœlum aqueum vel cri-ſtallinum dicitur) inſenſibilis eſt motus con-trarius, quippe qui. 49. millibus annorū finia-tur. Octaui verò qui & cœlum proprie dici-tur, item firmamentum, vel ἀπλανὴς ſecundum Græcos à conſtantia motus vt putabant vete res, in. 7. milibus annorum. Supra etiam firma-mentum nullos extare orbes Cicero & plures ante eum opinati ſunt, quos tamē ratione mo tus Mathematicorum inuenit ſagacitas. Reli-qui orbes inferiores planetarum vel ſtellarū erraticarum ſunt, ſinguli vnam tantum circun ferētes ſtellam, nam omnes aliæ in octauo cœ lo fixæ ſunt. Primus ab octauo Saturno tribui tur, Proximus Ioui, Tertius Marti, Quartus So li, Sequens Veneri, Penultimus Mercurio, Infi mus Lunæ orbis eſt, qui ſua ſuperficie conca-ua hunc mundum inferiorem aut elementarē partem ambit. Conſtat hæc ex quatuor elemē tis, & oībus quæ actione horū in inuicem ex ipſis conflantur. Elementorum ſupremū ignē, proximum verò aërem eſſe etiam pueris notū eſt. Aqua verò & terra ſimul vnū corpus ſphæ ricum efficiunt, prouidente id naturæ opifice, qui humanæ potiſſimum conſulens commodi tati fecit aliqua parte terram eminére, alia ve-rò aquam, ita tamen vt Sphæram conſtituant vt euidentiſſime in defectu lunari videre licet. Habet autem ſeſe terra ad cœlum veluti pun-

Elementa-ris pars.

ctum, nam cœlum vndiquaq; non plus nec minus dimidia parte conſpicuum eſt. Atque hæ præcipuæ partes ſunt mundi, quas alii cum cœlo deorum quod ſupremum eſt, quindecim diſtinguunt.

CAPVT SECVNDVM.

De *circulis Sphæræ.*

SPhæra ſolidum eſt corpus, vna ſuperficie contentum, in cuius meditullio punctum imaginamur quod centrum dicitur, à quo pũcto omnes lineæ ad peripheriam ductæ æquales exiſtunt. Axem ſphæræ vocant autores lineam rectam, quæ ſphæram per æquas ſecat partes, & ſuper cuius extremis terminis eadẽ motum perficit. Dicuntur quidem talia puncta, poli, cardines, aut vertices. Et quum duæ ſint extremitates lineæ rectæ, altera polus Arcticus, ab arctis ſiue vrſis dicitur, altera polus Antarcticus ſiue Auſtrinus: circa tales vertices motus primi mobilis perficitur. Æquinoctialis vel Æquator, eſt circulus ſecundum omnes ſui partes æquali interuallo ab vtroque polorum diſtans, & rectos angulos cum Axe mundi conſtituens, ſic dictus, quia ſol ſub eo motus, vbique gentium, diem nocti æqualem facit. Zodiacus, ſignifer, aut obliquus circulus eſt, qui cum Sphæram & Æquatorẽ per æqualia ſecet, vna ipſius pars verſus Septentrionem altera

Axis.

Poli.

Æquator.

Zodiacus.

altera versus Austrum declinat ab Æquatore spatio. 23. partium & semisse quasi, vbi longissime dissidet. Diuiditur hic in duodenas partes quæ signa dicuntur, sunt autẽ hæc nomina Aries, Taurus, Gemini, Cãcer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Signorum quodlibet in. 30. partes aut gradus distinguitur, fit hinc vt totus circulus. 360. partibus constet, Gradus deinceps in 60. minuta, Minutum in. 60. secunda, Secundum in totidem tertia, & sic deinceps ad decima diuiditur: Simili fere modo quilibet circulorum maiorum Sphæræ diuiditur in quatuor quadrantes, Quadrans in. 90. gradus, Gradus rursus vt prius. Sub signifero autem in aduersum primo mobili luctantur omnes orbes inferiores super axe & polis propriis distantibus à polis mundi. 23. gradibus & semisse, atque hic motus diuersitatis temporum anni causa est, & augmenti & decrementi dierum, denique generationis ac interitus omnium rerum naturalium vt philosophice loquamur. Signa.

Item Zodiacus præter omnes circulos Sphæræ latitudinem habere intelligitur, propter errantium syderum vltra citraque digressionẽ, est autem hęc latitudo secundum alios. 12. secundum alios. 16. graduum. Mediam vero latitudinẽ linea diuidit, quã Ecliptică vocãt eò quòd sol & luna cũ cõiunguntur vel opponũtur sub ea linea, defectũ luminis pati dicantur, Ecliptica.

Sol tamen (quod nulli planetarum faciunt) li neam eclipticam assiduo sequitur, adeò vt ne digitum quidem latum egrediatur. Quatuor sunt in zodiaco puncta, duo scilicet in duabus sectionibus Æquatoris & zodiaci, videlicet in principiis Arietis & Libræ, hæc Æquinoctialia vocantur. Sol enim sub ipsis constitutus æquinoctium constituit. Reliqua duo puncta inter media in principiis Cancri & Capricorni, Solstitialia appellantur, eò quòd sol cum eo peruenerit cõsistere videatur, horum quod septentrionale est nobis æstiuum, austrinum verò hybernum dicitur, Antipodibus contraria ratio est. Coluri duo sunt circuli per polos mũdi protracti, Sphæram ipsam & se inuicem in duo æqualia secantes. Horum alter per puncta æquinoctialia ductus, æquinoctiorũ: alter per solstitialia solstitiorũ dicitur. Horizon vel finitor (vt ipsum nomen sonat) est circulus qui conspectam mundi partem ab inconspecta dirimit. Duplicem distinguũt: Rectum qui æquales angulos cum Æquatore constituit, Obliquum qui inæquales efficit: qui vero talem habent hiis sol & reliqua astra obliquo ascẽdunt & descẽdunt motu. Variatur autem obliquus horizon in infinitum pro diuersa hominum habitatione. Punctum verticis, quod autores Zenith appellant, est quod secundũ perpendiculum alicui loco in cœlis supraponitur, quodq; æquali interuallo ab omni parte horizõtis dissidet,

Æquinoctium.

Coluri

Horizon.

Zenith.

sidet, vnde & polus horizontis dicitur. Meridianus circulus dicitur qui per polos mundi & punctum verticis cuiuscunq; regionis ducitur, in quem quum Sol inciderit supra horizontem, meridiem, infra verò horizontem, mediam noctem efficit. Dicti verò circuli maiores dicuntur, eo quòd sphæram per æqualia diuidere intelligantur suis superficiebus. Meridianus.

Minores verò quatuor sunt, Duo polares eo quòd circum polos mũdi per polos zodiaci ducantur, Vicinus polo arctico Arcticus dicitur, alter Antarcticus, Circuli Polares

Reliqui duo tropici vocantur, ab vtraque parte æquatoris, æquali tamen secundum omnes sui partes ab eodem distantia circumducti. Horum qui ab æquatore versus arctos recedit Tropicus Cãcri dicitur, quia Sol in initio Cancri cõstitutus talem circulum motu raptus describit. Tropici

Cancri cir.

Alter, circulus vel Tropicus Capricorni ob similem rationem dicitur. Capricorni.

Hii duo circuli limites Soli statuti sunt quos ille nunquam transcendit, licet iidem limites ex motu trepidationis octauæ Sphæræ varientur: Verum eam rationem motus cum nostro non conueniat instituto in præsentiarum missam facimus.

FIGVRA CIRCVLO-

RVM SPHAERAE.



CAPVT TERTIVM.

De Zonis & Climatibus.

OMnes itaque iam dicti circuli vt in cœlo finguntur, ita in subiectæ terræ superficie eos describi imaginandum est. Fit hinc vt quatuor minores circuli quinque spatia in cœli & terræ superficiebus distinguant, quæ propter similitudinem zonæ nominatæ sunt. Zonæ. Duas extremas circulis polaribus intercluſas, antiqui non habitabiles ob rigidum perpetuo cœlum asseruere, Mediam similiter ob intemperatum Solis ardorem, est enim inter duos tropicos intercluſa, Verum nostræ ætatis scriptores eam non solum habitabilem sed temperatissimam esse & rationibus contendunt, & experientia comperti sunt, reliquas verò duas zonas inter polares circulos & tropicos interceptas habitabiles temperatasq; esse liquido constat. Distinguitur etiam terrę superficies secundum aliam rationem, quanto enim aliqua regio latius ab Æquatore in alterutrã Climata. partem declinauerit, tãto plus æstate diei longissimæ, & vicissim hyeme noctis quãtitas augetur, adeo vt quæ maxime distet scilicet. 90. gradibus, ea diem longissimã sex mensium habeat, noctemq; diei æqualẽ: qui verò sub ipso Æquatore consistunt, perpetuo diem nocti æqualem. 12 horarum habent. Ratio huius diuersitatis ex Sphæra materiali ob oculos poni potest. Ptolemæus igitur & alii classicorũ scripto-

ſcriptorum pro diuerſa quantitatis dierum variatione, diuerſas plagas terræ ſeu climata diſtinxére, ita ſcilicet vt tale ſpatium dimidiæ horæ quantitatem contineat, & in modum zonæ per totum orbem ab occaſu in ortum protendatur. Loca verò talibus climatibus ſubdita ipſis nomina indidére, vt primum clima ab Æquatore verſus polum arcticum διὰ μεροῦς vel per Meroen vocatur, eo quòd medium huius climatis per Meroen (quę eſt inſula Aphricæ Nilo circumfuſa) tranſit. Secundū per Syenen. Eſt autē Syene vrbs Ægypti tropico Cancri ſubdita. Tertium per Alexandriam vrbem ſcilicet in ora Aphricę ſitā. Quartum per Rhodum. Quintum per Romā vel per Helleſpontum. Sextum per Pontum. Septimum per Boriſthenis hoſtia. Hic verò fuit finis climatum antiquioribus, quippe regiones vlterius ignotæ erant. Addunt alii octauum per Ripheos vel Meotidis paludes, Nonū per Daniam &c. Augetur quidem horum climatum diei proli xioris quātitas vna ſemihora, hoc eſt, quotum quodq; eſt clima, tot ſemihoris dies eius maxima, ſuperat duodecim horas, vt in initio primi climatis dies longiſſima continet. 12. horas, & ſemiſſem, In fine verò qui idem eſt cū initio ſecundi climatis. 13. horas. Sic ſi deinceps vnam ſemihorā addiderimus pro ſingulis climatibus habebimus ſemper quantitatem diei maximæ pro tali climate. Quod nunc diximus

mus de Climatibus ſeptentrionalibus eadem ratione de auſtrinis intelligi volumus, niſi quòd hæc propriis non appellantur nominibus, ſed per contrarium vt ἀντὶ διὰ μεσῶν, ἀντὶ διὰ συήνης. &c.

CAPVT QVARTVM.

De *Parallelis*.

PAralleli ſunt circuli æquo à ſe inuicem diſſidentes interſtitio, adeo vt ſi in infinitum protrahi intelligantur nunquam ſeſe mutuo contingant. Varii poſſunt adſignari in Globo paralleli, verum Ptolemæus, quem in omnibus nobis imitandum ſtatuimus. 21. parallelos ſeptentrionales deſcripſit, ea ferè ratione qua Climata diximus terminari, niſi quòd Climata per mediæ horæ ſpatia procedant, Paralleli verò per quadrantes tantum: hoc eſt, ſicut initium vnius climatis, præcedentis initiũ vincit vna ſemihora, ita parallelus præcedentem quadrante ſuperat, vſq; ad decimumquartum parallelum, cuius longiſſima dies eſt quindecim horarum & ſemiſſis, vt ex ordine parallelorum quiuis facile ſupputauerit. Hinc verò per medias horas ad vndeuigeſimum vſque parallelum inceditur, cuius maxima dies continet. 18. horas. Demum additione integræ horæ ad. 21. parallelum deuenitur, qui per Thylen inſulam tranſit. Huius diei maximæ quantitas 20. horas continet. Vlterius Ptolemæus non diſtinxit, quandoquidem ignotum erat quic-

quid

quid telluris ab Aquilone vltra parallelum per Thylen protractum describitur, licet tamen vlterius quantitate vnius horæ addita ad vigesimumquintũ, deinde mensis excessu ad 30. parallelum deuenire. Quantum verò paralleli & climata ab inuicem & ab æquatore distent, lucidissime in Globo nostro videre licet. Possemus alioqui id per tabulas et figuras ob oculos ponere.

CAPVT QVINTVM.

De Longitudine locorum.

DVplices sunt in Globo quem ad similitudinem terræ effingimus circuli, Pars enim per polos mundi deinde per cuiusuis loci punctum verticis protrahi intelligitur, tales meridianos appellari non est dubium, omnesq; in polis mundi coire, & per quemcunq; locum duci posse, eosdemq; terminos esse longitudinis regionum. Longitudo itaque regionis aut cuiuscunq; loci, est portio Æquatoris inter meridianum talis loci, & meridianum qui per insulas fortunatas ducitur, intercepta. Nam ab hiis insulis initium longitudinis sumitur, progrediendo ab eis versus ortum vsque in eundem locum. Nostro autem Globo. 24. meridianos inscripsimus, quorum bini quilibet proximi spatium vnius horæ intercludũt. Et loca talibus subiecta meridianis, vnius horæ interuallo dissidere certum est: Hoc est

Longitudo.

orien-

orientalior eorum, meridiem, mediam noctem, eclipses lunæ, coniunctiones & oppositiones luminarium, vna hora prius habebit quàm occidentalior. Si verò per duos meridianos descriptos distiterint, vel si.30.gradibus in longitudine ab inuicem elongata fuerint, duarum horarum talis differentia oppositionum constituetur: Vnus denique gradus differentiæ longitudinis quatuor minuta horaria constituit. Ex hiis paululum etiam instituto Arithmetices disciplinis cætera colligere dabitur, siue.10. siue.40. graduum hæc distantia, quæ differentia longitudinis dici consueuit reperiatur.

CAPVT VI.

De *Latitudine locorum.*

ALtera pars circulorum Globi, circum polos mundi, & æquali vndique secundum Æquatorem & se inuicem protractu circumducitur. Tales quidem paralleli dicuntur, & simili ratione per quemcunque locum secundum loci ipsius ab Æquatore recessum describi possunt, & hii latitudines regionum finiunt. Est autem latitudo, arcus meridiani cuiuscunque loci, inter Æquatorem & parallelum qui per eiusdem loci punctum verticis ducitur intercluſus, Hanc æqualem esse eleuationi polari supra horizontem nemo dubitat: Nam si quis sub Æquatore consisteret (cum me-

Latitudo.

medium cœli tantum conſpicuum ſit) vterq; polorum horizonti applicaret: Si verò idem in alterutram partium puta ſeptentrionem vel auſtrum digrederetur, tantum ipſi alter polorum ſupra horizontem emineret, quantum iam punctum verticis ipſius ab Æquatore declinaret, quippe ſi punctum verticis ad polum vſque deuentum eſſet: hoc eſt, ſi quadrante circuli ab Æquatore diſſideret: iam Æquator vice mutata vndique horizonti applicaretur. Patet ergo eandem eſſe latitudinem regionis & eleuationem poli ſupra horizontem, differre tamen ratione: Nam eleuatio poli, eſt arcus meridiani inter polum mundi & horizontem cuiuſcunque loci interceptus, latitudo autem dicta eſt. Latitudo igitur regionum ab Æquatore in auſtrum vel ſeptentrionem ſupputatur, quanuis Glareanus dixerit à ſeptẽtrione in auſtrum, longitudo autem ab occaſu in ortum.

Eleuatio Poli.

CAPVT VII.

De *diuerſis habitationum nominibus.*

EX vmbrarũ ratione tria habitationum nomina oriuntur, Amphiſcii ſcilicet, Heteroſcii, & Periſcii. Amphiſcios vocant autores, quorum vmbræ in vtramq; partem, puta Auſtrũ & Boream iaciũtur. Heteroſcios quorum vmbræ in alteram tantum vergunt partem. Periſcii verò ſunt quibus vmbræ in modum molarum circumgyrãtur. Sunt autẽ tales qui-

Amphiſcii. Heteroſcii. Periſcii.

quicunque ſub zonis extremis habitant, vt Pi lappi & vicini. Heteroſcii verò ſunt quicunque in zonis temperatis ſcilicet inter circulos polares & tropicos habitant, vt Itali, Hiſpani, etc. Amphiſcii demum ſunt quorum inter duos tropicos aut ſub torrida zona habitatio eſt, vt Æthiopes, Arabes, & Indi. Rurſus populi ad inuicem collati, aut dicuntur Periœci, aut Antœci vel Antipodes. Periœci vel circumcolæ dicuntur, qui ſub eodem climate & parallelo, & ſub eodem meridiano continentur, ſed inter eos mediat polus mundi: Hiiq; eandem rationem temporũ anni habent, quippe cum illis hyems eſt, etiam hii hybernantur: Verum in horarum ſpatiis multum diſtant, nã cum illis media dies eſt, hiis cõcubia nox ingruit. Tales ferè ſunt inſularum fortunatarum incolæ cũ Sinarum populis. Antœci ſunt quorum ſitus eſt ſub meridiani alicuius eadem medietate: Verũ parallelus vel latitudo vnius regionis tantum ab Æquatore verſus Auſtrũ, quantum alterius punctum verticis vel latitudo verſus Septentrionem cedit. Sic Ægyptii cum extremis Aphricæ habitatoribus Antœci dicuntur. Et hii ſimul in contraria anni tempora incidunt, hiis enim hyeme exiſtente, illi æſtate fruuntur: Verùm quum eadem longitudo ſit vtriuſque, eodem eis momento meridies & media nox apparet. Demum Antipodes dicti quòd inuicẽ veſtigia obuertant:

Periœci.

Antœci.

Antipodes

eidem meridiano & cõtrariis parallelis æquali tamen interstitio ab Æquatore descriptis, subiiciuntur: Hiis contraria omnia accidunt, hyems & æstas, dies ac nox, ortus & occasus, habent eundem horizontem, sed opposita hemisphæria, Ita Americæ extremi versus meridiem habitatores Antipodes dicuntur Tecto sacibus Schithiæ populis: Verum tales reipsa existere, multi prȩcipue Augustinus & Lactãtius præter fidem esse contendunt, licet iam experientia compertum sit. Lactantius alioqui philosophus non vulgaris, ea ratione potissimum moueri videtur, quòd cœlum terra inferius esse non possit, cum interim quid inferius sit aut superius respectu totius machinæ mundi, videatur ignorasse.

Lactantii opinio.

CAPVT VIII.

De *Ventis*.

Solent etiam regiones ad inuicem comparatæ per ventorũ situs aut secundum plagas mũdi describi. Vt cum dicimus: Hispania habet ab ortu Pyrenæos montes & Galliam. Item Germania clauditur ab occasu Rheno fluuio, &c. Tali via Geographi ferè omnium locorum situs describunt, & huius cognitio plurimum ex re nautarum est, qui longinquas adire regiones conantur. Cosmographi verò ex superiorum consyderatione regiones distinguunt, ceu per parallelos, meridianos, & similia: vt quum dicimus, Roma habet latitudinem.

Cosmographi.

dinem. 41. partium & .50. minutorum, longitudinē. 36. partium & trientis. Talem differentiā Cosmographiæ & Geographiæ Ptolemæus libro 1. cap. 1. adsignat. Est autem Ventus secundum Physicos, exhalatio calida & sicca, lateraliter secundum terram mota: Sortiuntur verò sua nomina pro diuersis à quibus impelluntur mundi partibus. Vbi notandum quòd cuiusq; regionis horizon in. 12. spatia diuiditur, quæ ventorum nominibus inscribuntur. Quatuor principales sunt venti, Apheliotes vel Subsolanus, flans ab ea parte qua sol in æquinoctiis oritur, hic idem Leuans nautis dicitur. Zephyrus vel Fauonius ab occidente irruit, hūc nautæ Ponentem vocant. Aparctias vel Septentrio à polo procedit, Hydrographis Transmontanus dictus. Auster vel Nothus à meridie oritur. Horum autem quilibet binos socios sibi collaterales habet: Subsolanus enim Cæciam vel Hellespontium versus Septentrionem, Eurum vel Vulturnum ab alia parte iunctos habet. Zephyro Lips vel Aphricus ab Austro iungitur, Iapyx vel Corus ab alio latere. Septentrioni Boreas vel Aquilo vicinus est versus ortum: Thracias, Circius vel Gallicus versus occasum. Austro Libonotus ab occasu, Euronotus vel Euro Auster ab ortu adiacet. Nautis alia ratio ventorum est, His enim horizontē in. 32. partes diuidunt aut in. 16 vētosq; suis noīb⁹ distinguūt. De qualitatibus

Ventus.

Ponens.

autem ventorum hoc sciendum est, Subsolanum cum duobus sociis calidæ & siccæ esse naturæ: Zephyrum frigidæ & humidæ: Austrum cum vicinis vtrinque sociis calidum & humidum, ideoq; tonitruosum, pestiferum, & insaluberrimum: Septentrionem econtra frigidum & siccum, & omnibus modis animantibus, frugibus non æquè salubrem.

CAPVT NONVM

Generalia quædam subnectit.

QVum terræ superficies non vna sit, sed diuersis marium sinubus perfossa, atque adeò penitus interrupta: Autores eam partem quæ vndique maiori superficiei conContinens iuncta sit, Continentem vocauerunt vel terrã fixam, vt sunt Europa, Asia, & Aphrica. Insu-Insula. lam autem vocauerunt plagam terræ vndiq; Oceani fluctibus circũfusam, & à maiori parte habitabilis portionis dissectam, vt Anglia, Peninsula. Sicilia, Creta, etc. Peninsulam verò quasi pene insulam, quia nõ tota mari circundata est, sed angusti protractu maiori parti terræ habitabilis connectitur: Huius exempla sunt Italia, Peloponnesus, Taurica chersonesus, etc. Partem denique eam qua Peninsula continẽti adhæret, Isthmum appellari vidimus. Est Isthmos. enim ἰσθμός angustus quidam terræ tractus inter duo maria comprehensus. Sunt infinita præterea nomina Geographis vsitata, quæ omnia definire Grammaticorum magis est

quàm

quàm Cosmographorum: vt sunt Regio, Regnum, Prouincia, Gens, Populus, etc. Item Mons, Promontorium, Vallis, etc. Rursus aquarum multiplicia nomina, Oceanus, Mare, Fluuius, Flumen, Riuus, Palus, Lacus, Sinus, & similia.

SECVNDA PARS

DE VSV GLOBI.

CAPVT PRIMVM.

De Globi partibus.



Delibatis theorices huius artis principiis, ad praxim accingimur, quam & si variis multisq; instrumẽtis possemus docere, cùm tamen inter omnia nullum tam perfectum, tam generale sit, quod tantum præstare possit, quantum corpus sphęricum ad similitudinem vniuersi confectum, omissis omnibus aliis hoc arripiemus, quod citra omnia ferè alia, omnẽ huius artis vsum indulgere possit. Principio itaque tale corpus sphæricum, quale summa diligentia, nec minori artificio nuper construximus, omnes circulos sphæræ habet, alios tamen vt Æquatorem, Tropicos, Parallelos, etc. Circuli sphæræ.

Regiones. in ipsa superficie conuexa globi: Super quibus quanto potuimus studio Regiones, Insulas, Montes, & Fluuios, adscriptis passim nominibus, seruataq; horum exactissima ad inuicem symmetria, produximus. Præterea vt ampliori vsui foret, stellas imposuimus, non quidem omnes, sed tantum potiores, quæ scilicet Astronomis & Cosmographis inseruiunt.

Latitudo. Porrò iuxta primum Meridianorum qui per insulas fortunatas ducitur, adsignauimus gradus latitudinum ad polos vsq; : Iuxta eosdem verò gradus in parte Septentrionali, climata & parallelos secundum suas ab Æquatore distantias, qui eandem etiam rationem distantiæ versus Austrum habere debent intelligi. In Australi verò parte eiusdem meridiani adiecta sunt miliaria Italica tribuenda vni gradui longitudinis extra Æquatorem, secūdum diuersam latitudinis rationem: ex quibus proportio parallelorum ad Æquatorē colligi potest: Quanto enim Parallelus remotior ab Æquatore fuerit, tanto strictior euadit. Per hæc etiam ex itinerum interuallis, longitudinis aut latitudinis, cognito altero horū & angulo positionis, quantitas haberi potest, licet difficili modo ac via. Sed talis globus parum vtilitatis præstiterit, nisi accedant præterea orbes ænei vel ex quauis alia materia firma cō structi, in quibus talis globus moueri possit.

Hos

Hos autem extra corpus sphæricum applicare oportebit. Primum itaque necesse est vt ex ære ferro vel ligno constructur meridianus, diuisus in quater. 90. gradus, quibus etiam possent adsignari climata & paralleli, nisi hæc in globi superficie locassemus. Huic meridiano affigetur globus axe quodam ferreo vel duobus clauiculis tali arte, vt si globum circumduças, etiam axis cum globo rapiatur. Præterea ad eundem meridianum cyclus quidam pro arbitrio magnus adaptabitur circum polum mundi Arcticum, diuisus in vigintiquatuor horas, diceturq; ob hoc cyclus horarius. Insuper cum axe & globo, circumagetur index horarius per cycli horarii spatia. Apposcit hic Meridianus Horizontem ligneum, in quo secundum eleuationem poli circumduci possit. Continebit idem in sua superficie quæ lata erit duodecim plagas mundi, Mensium dies, cum zodiaci signis & gradibus correspondentibus. Deest iam operi quadrans circuli ex lamina ænea secundum globi gibbositatem formatus, hunc alij quartam altitudinis vocant. hic instrumento quodam exemptili quod puncti verticis vicem adimplebit, meridiano affigetur. Item circulus positionis qui semicirculus est affixus horizontis & meridiani duabus sectionibus, exemptilis etiam, vt ab vna medietate in aliam trãsferri possit:

Meridianus.

Cyclus horarius.

Index.

Horizon.

Quarta altitudinum.

Circulus positionis.

hic Astrologorum iudiciis inseruit. Demum angulus sphęricus pro vmbra Solis iacienda. Profecto talia instrumenta non tam apte describi quàm demonstrari ad oculum possunt. In fronte libelli omne ferè depinximus.

Angulus sphæricus.

CAPVT SECVNDVM.

De *usu Globi generali.*

QVantum vtilitatis, quantum delitiarũ ac iucunditatis adferat Globus hunc in modum instructus, difficile fuerit credere inexperto: Nam super alia quæuis instrumenta facilem vsum eumq; amplũ præbet Astronomis, Geographis, Historiographis, Legumperitis, Grammaticis, Naucleris, & cuiuis hominum generi vtilis, & præter hęc gratissimus sua forma existit. Vt autem alienis partis meo nõnihil parcam labori, magnam vsus partem explicabit libellus quidam Ioannis Schoner de vsu Globi astriferi, quicquid enim ibi suo Globo adscribit id totum, imò plus hic noster efficiet. Docet enim ille libellus qua arte per Globũ inueniantur locus Solis in signifero, Eleuatio poli, Linea meridiana, Horę diurnæ ac nocturnæ, Quãtitas dierũ, Ortus solis & occasus, Ascensiones rectæ ac obliquæ, Declinationes, Horæ inæquales, Quam partem mũdi sol vel quoduis syderum occupet. Quomodo cognoscantur nomina stellarum visu è cœlo apprehensarum. Docet item duodecim cœli domicilia distinguere, Deinde secundum ea

signifi-

significatorem dirigere, Demum horoscopia aut in plana horizontis superficie, aut in muri ad perpendiculum erecti planitie describere, & plura quæ venustius describi vix possent nisi fortassis compendiosius. Verum quum noster Globus multo plura præstare poterit, & præterea ille quædam omiserit quæ aut faciliori via inueniri, aut quæ per nostrum Globum commodius quàm per alium haberi possint, visum fuit nobis nõ incongruum omnem huius instrumenti vsum quâm poterimus breuissimis regulis subnectere, nec quidem hoc illi ignorantiæ, aut mihi arrogantiæ ducendum volo: Fit enim plerunq; vt non omnia possimus omnes, faciliusq; sit rei inuentæ aliquid addere, quàm latentem primitus adinuenire.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo locetur Globus secundum plagas mundi.

DOcet hanc rem Ioannes Schoner per meridiei obseruationem, itemq; horoscopii cuiusdam quem compassum dicunt adiumento: Verum quouis tempore diei sole tamen radiante absq; compasso votis tuis potieris, cognitis tamen latitudine regionis & loco Solis sub signifero. Hiis igitur concessis, meridianum mobilem cum Globo eidem affixo circumagito, donec polus tot gradibus supra horizontem emineat, quot latitudo tuæ regionis cõtinet, adiunctoq; stilo anguli sphæ

rici, aut quocunq; alio ſecundum angulos rectos ſuper loco ſolis in Globo ſignato, ſedem Globi cũ globo huc atq; illuc circumducito, donec ſtilus è regione Soli locatus, nullam penitus vmbrã in globi ſuperficie conuexa proiiciat: tum enim omnes plagas mundi ex eiſdem in horizonte deſcriptis, aut per meridianum exteriorem cognoſces. Prꝛterea omnem ſitum cœli, ſydera aſcendentia & ſubmergentia, horam diei, duodecim domicilia & multa alia. Illud tamen ſtudioſe obſeruaſſe oportuit, vt latus Globi orientale ſoli, dum ab ortu ad meridiem incedit, obiiciatur: Occidentale verò eidem meridiem relinquenti. Vbi verò ſemel huiuſmodi ſitum exactiſſime adinueneris, licebit ſecundum eum in infima parte ſedis globi compaſſum dirigere ac firmare, vt deinde perpetuo die ac nocte artem hanc locandi globum ſecundũ cœli aſpectum reſpondentẽ, in promptu habeas. Hæc Ioannes Schoner non habet in ſuo libello, quum tamen mihi periclitanti primum compaſſum ſitũ inuenire, plurimum fecerit negotii.

Obſeruandum.

CAPVT QVARTVM.

De *loco Solis inueniendo.*

IN horizonte deſcriptos eſſe ventos, ſigna zodiaci & menſes cum ſuis diebus diximus: ex hiis igitur locus Solis petendus eſt: quodcunq; enim ſignum, & quicunq; gradus ſigni diei tuæ in qua locũ Solis quæris reſpon

derit,

derit,is est locus Solis eo die & eo mense: Verum in anno bissextili si post vigesimumoctauum diem Februarii locum Solis quæras,semper vnus dies adiiciendus est diei præscripto: vt si quæras locũ Solis vndetrigesimo Februarii,accipias gradum qui respondet primo diei Martii,scilicet vigesimum Piscium &.50.mi. Et ita deinceps agendum ad finem vsq; anni.

Ex radiis solaribus similiter inuenitur locus Solis,verum non tam exacte,hoc pacto. Constituatur globus in plano vt ei secundum perpendiculum insistat (quod facile per perpendiculum animaduertitur quod sedi globi consueuimus addere) deinde vbi meridiem Sol pertigerit, locato globo secundum eleuationem poli,& secundum plagas mundi,applicetur Gnomo sphericus lineæ eclipticæ apud meridianum circulum, & eo vsq; circumagatur globus sede immobili permanente, donec stilus gnomonis omni vmbra careat, eo tamen obseruato quòd gnomo inter voluendum ab ecliptica & à meridiano non recedat,sed lineam eclipticam vel ascensu vel descensu imitetur: præterea vt ea medietas eclipticæ soli obuertatur quem sol eo tempore peragrat, scilicet vel à Capricorno ad Cancrum vel hinc ad Capricornum. Vbicunque autem stilus gnomonis constiterit in ecliptica linea nullam proiiciens vmbram, ibi est locus Solis eo die.

Ex radiis solaribus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De *latitudine Regionum.*

LAtitudinem regionis eandem esse cum eleuatione poli diximus: quam sic inuenies. Obserua donec Sol meridiem attigerit, deinde Sole lucente globum in plano constitue quàm rectissime & eo vsq; cum sede circumducas quo meridianus circulus Soli obiiciatur, hoc est, vt nullam vmbrā in latus proiiciat, sed sub se: quibus actis locū Solis lineæ meridianæ, & gnomonem sphæricum loco Solis applica, demum sede globi permanēte, globum cū meridiano et gnomone sphærico sursum deorsumve circumagas, donec gnomo sphæricus nullam vmbram in latus proiiciat: Tunc enim si gradus numeraueris, qui sunt inter horizontem & polum arcticum globi, habebis eleuationem poli regionis propositæ.

Noctu. Noctu verò si idem per stellas fixas libet inuenire ita agito. Accipe per quadrantē aliudue instrumentum altitudinem alicuius stellæ cognitæ maximam, hoc est dum ea circa meridiem constituta fuerit. Quā vt accepisti fac vt eadem stella in globo descripta, eandem altitudinem supra horizontē habeat, quam eam in cœlo habere cōperisti, extollendo scilicet globum cum meridiano, vel deprimendo, donec tot sint gradus meridiani inter stellam ipsam & horizontem, quanta fuit altitudo illius cœlestis inuenta, & quot rursus gradus numeraueris

raueris inter horizontẽ & polum à parte ſeptentrionis, tanta eſt latitudo regionis in qua hæc experiris. Addam iam aliquid quo citra lineæ meridianæ exactã obſeruationẽ aut horarum cognitione, quouis momẽto noctis eleuationem poli licet addiſcere. Hoc tentaturus accipio duarum vel trium ſtellarum altitudinem per quadrantem, eodẽ momento, earum inquam ſtellarũ octaui orbis, quarũ vna verſus ortũ altera verſus occaſum ſita eſt, & quarum ſitus in globo cõſtituti ſunt. Acceptis igitur altitudinibus curo vt eædẽ ſtellę in globo ſimul habeant ſuã quæq; altitudinẽ, per eleuationem globi cũ meridiano ſuſq; deq;, & per applicationẽ quartæ altitudinis ad ipſas ſtellas, & quot fuerint gradus in meridiano inter polum & horizontem tanta eſt latitudo regionis. Hoc tamen ſciuiſſe oportuit pro auſtrinis regionibus globũ vertendũ eſſe, vt polus antarcticus ſupra horizontem conſtituatur.

CAPVT SEXTVM.

De *longitudine, latitudine, declinatione, aſcenſione recta & obliqua ſyderum.*

LOngitudo ſtellarum, eſt diſtantia earum in Zodiaco à principio Arietis. Latitudo verò diſtãtia ab eclíptica verſus polos Zodiaci, vnde duplex diſtinguitur: Septentrionalis & auſtrina. Si igitur ſydus aliquod in parte ſeptentrionali ſitũ fuerit, Remoue à meridiano quartam altitudinis cum inſtrumento cui adhæ-

Lõgitudo
Latitudo.

adhæret, hoc autem instrumentum applica polo zodiaci septẽtrionali, ibiq; fixum vna manu tene, altera manu volue quartam altitudinis ad stellam cuius longitudinem quæris & latitudinem: Gradus igitur ecliptícæ in quem extremum quartæ altitudinis desinit, indicat longitudinem stellæ, latitudinem verò supputabis ab ecliptica vsq; ad stellę locũ in quarta altitudinis. Similis est ratio in austrinis. Atque hac industria depingimus loca planetarũ in globo habita longitudine & latitudine ex tabulis, voluendo deinde scilicet quartam altitudinis ad gradum longitudinis in ecliptica, latitudinem verò in quarta altitudinum quærendo, ibi enim est locus planetæ: qui aut cera aut carbone notãdus est vt possit facile deleri, nam hæc loca indies migrant. Declinatio Solis vel stellæ cuiuslibet est distantia eius ab Æquatore versus polos mundi: Atq; hęc itidem duplex est, septentrionalis & meridionalis, secundum duos polos mundi. Inuenitur ex globo admouendo stellam vel locum Solis ad circulum meridianum, numerandoq; gradus meridiani inter Æquatorem & locum Solis vel stellę interceptos: nam hii declinationem definiunt: quæ an septentrionalis an meridionalis sit facile est videre. Nunc de ascensionibus. Ascensio recta alicuius syderis quæ et gradus medii cœli dicitur, est gradus Æquatoris, qui cum tali sydere emergit supra horizontem

Planetarũ loca.

Declinatio.

Ascensio recta.

zontem in sphæra recta, siue qui cum eo peruenit ad meridianum circulum. Huius inuentio facilis admodum est nullius q̃ negotii, Nam permoto loco Solis quocunq; vel syderis alterius ad circulum meridianū, confestim idem meridianus inter gradus Æquatoris ascensionem rectam vel gradū medii cœli indicabit.

Ascensio verò obliqua, vt nomen ipsum sonat, est gradus Æquatoris qui cum sydere quocunq; exoritur supra Finitorē in Sphæra obliqua vel supra horizontem obliquum. Atque hæc non multo maiori negotio addiscitur q̃ illa: Constituo enim globum secundum eleuationem poli, & locum Solis vel stellæ ad Finitorem versus ortum, quicunque tum gradus Æquatoris simul exurgit pro ascensione obliqua habendus est. Descēsio autem obliqua nō in ortu sed in occasu inuestigatur. Hæ interdum multum inter se distant, sed descensio recta semper eadem est cum ascensione recta.

Ascensio obliqua.

Descensio.

Quanto iam tempore aliquod integrum signum vel quicunq; arcus zodiaci peroriatur aut penitus occidat, ita videndum est. Applicandum est prius principium eius signi ad finitorem, & simul index horarius ad. 12. Postea finis eiusdem signi ad horizontem peruoluendus, & index indicabit quanto spacio temporis tale signū omnino exoriatur. Atq; hæc de ascensionibus obliquis. pro rectis cum meridiano quod iam de horizonte diximus agito.

Verum

Exemplum

Verum vt lector facilius capiat, vnico fere exemplo totum caput declarabo. Statuo Caniculam, cuius longitudinē & latitudinē cupio ex globo discere. Remouco ergo quartam altitudinis cum instrumento cui connectitur à meridiano, & applico ad polum Zodiaci antarcticum, quia stella est meridionalis. Deinde voluo quartā altitudinis vsq; in locum stellæ. Video ergo longitudinē ipsius in ecliptica. 19. gradus cancri cum semisse fere, latitudinē verò in quarta altitudinis. 16. graduum, &. 10. minutorum. Promoueo eandem stellam ad meridianum circulum, & ibi numero inter ipsam & æquatorē sex gradus declinationis septentrionalis, & simul video meridianum secare æquatorē in. 107. gradu cum triente, qui sunt ascensio recta ipsius stellę. Si nunc eandem ad finitorem direxero versus ortū eminet simul 100. quasi gradus æquatoris qui est ascensio obliqua ipsius in latitudine. 50. graduū. Si verò ad occasum finitori applicuero, video descensionē obliquā. 115. graduū. Similis via est de loco solis quocūq;, vel gradu ecliptice, vel sydere quouis alio. Sciendū tamē est (quod fere omisera) nonnullos initiū graduum ascensionū, siue æquinoctialis statuere in principio Capricorni. Verū quoquo modo numeres, idē erit modus agēdi, nisi qđ hic. 90. semper gradus addas ad ascensionē inuentā: quod verò vltra 360. excesserit, penitus reiicias.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De quantitate diei, ortu, & occasu solis, & stellarum.

PRimum constituatur globus per meridianum circulum secundum eleuationẽ poli regionis tuæ, de qua hæc addiscere intendis. Deinde pro ortu aut occasu cuiuscunq; syderis habendo, adiunge locum solis in ecliptica notatum circulo meridiano, & simul indicem cycli horarii qui circũ polos mouetur, ad duodecimam horam: Post hæc volue globum cum indice, donec sydus ipsum cuius ortum quæris, à parte orientis lineæ horizontis, aut superficiei supremæ horizõtis exactissime respondeat. Aut si tempus ortus solis quæras, cum loco solis, eodem modo age. Tum enim index cycli horarii indicat inter horas, quota hora idem sydus oriatur. Si verò occasum ma uis, volue ipsum sydus dum horizontem contingat versus occidens: Videbis ex eodem in dice horam occasus: atq; hęc de ortu & occasu vulgari dicta sint. Aliter Poetæ loquuntur, vt Vergilius: Occasus.

Multi ante occasum Maiæ cœpere, sed illos
Expectata seges uanis eluſit auenis.

Hunc ortũ cosmicum vocat Io. de sacro busco. Si igitur libet enuntiare, quo tempore anni aliquod sydus oriatur cosmice, loca ipsum sydus ad horizontis superficiem in oriente, & simul consydera quotum gradum, cuiusq; si- Ortus Cosmicus.

gni gradum horizontis ſuperficies in eclipti-
ca linea ſecet: Eundē verō gradum, eiuſdem-
que ſigni gradum quære in horizontis margi
ne interiori, & facile videbis quo menſe ac
Occaſus coſmicus quoto die ipſum ſydus oriatur coſmice. Pro
occaſu autem habendo, volue idem ſydus ver
ſus occidens ad horizontē, quicunq; tum gra-
dus zodiaci in oriēte emergit, is eſt, quē dum
ſol occupat, ſydus dicitur occidere coſmice.
Item de ortu & occaſu chronico aut tempo-
raneo, quem dicunt eſſe dum ſol aut occidit
Ortus chro nicus. aut oritur, hoc ſciendum eſt: Locandum pri-
mum ſydus ad horizontem verſus orientem,
quicunq; tum gradus zodiaci occidit, is indi-
cat tēpus, quo ſydus dicitur oriri chronico or-
tu. Si verò ipſum admoueas horizonti verſus
occidētem, gradus ſigniferi qui tum oritur, in-
dicio eſt quo tempore anni ſydus dicatur occi
Quantitas diei. dere chronice. Pro quantitate diei habenda,
volue globum quoad gradus ſolis eius diei cu
ius quantitatem quæris, oriatur ex oriente, &
ſimul colloca indicem cycli horarii ad duode
cimam horam mediæ diei: quo facto circum
duc globum verſus occidens dum idem gra-
dus ſolis occidat, ſi iam horas ſupputaueris
quas index cycli horarii à principio pertran-
ſierit, habebis quantitatē diei quæſitæ, Quā ſi à
24. horis ſubduxeris, relinquetur proculdu-
bio quantitas noctis. Similis via eſt ad inueni
endam moram alicuius ſyderis alterius ſupra

noſtrum hemiſphæriū, ſi ſcilicet ipſum orienti applicueris, et indicē ad duodecimā, deinde ad occidentē peruoluas, numeresq; horas ab indice tranſactas, talem moram nonnulli arcū diurnū vocāt. Quomodo autē hęc cadē paulò exactius ſed difficilius multo per aſcenſiones rectas perficiantur, impræſentiarum ob breuitatis ſtudium miſſum facio.

CAPVT OCTAVVM.

De *aurora & crepuſculo.*

AVroram appellamus tempus ante ſolis exortum, quo ſol lucem ſuam in noſtrū hemiſphæriū incipit diffundere. Crepuſculum verò quo poſt occaſum deſinit noſtrum aērē illuſtrare, tunc inquam eſt principium auroræ & finis crepuſculi veſpertini: idq; fit ſemper quum ſol duo de viginti gradibus ſub horizonte noſtro mouetur. Igitur ſi huius cognoſcendi deſiderio tenearis, compone ante omnia globum ad eleuationem poli, deinde locum ſolis eius diei quo tempus crepuſculi cupis inuenire, iunge meridiano circulo, et ſimul indicem horariū duodecimæ horæ. Poſt hæc volue gradum oppoſitū loco ſolis verſus occaſum cum quarta altitudinis, ita vt ſub. 18. gradu ipſius quartæ locetur, tum indice indicante videbis quota hora mane incipiat aurora. Si ſimili modo voluas eundem gradū oppoſitum ad ortum ſub. 18. gradibus quartæ altitudinis, indicabit idem index horam,

qua veſperi deſinet crepuſculum. Globo ſic ſtante permoueas indicem rurſus ad duodecimam meridiei, deinde circumduc globum quouſq; gradus ſolis contingat horizontem in occaſu,& oppoſitus in ortu tum per indicẽ tempus aut moram crepuſculi cognoſces.

CAPVT NONVM.

De *cognitione ſtellarum globo inſcriptarum.*

HIc primum aut vnã ſtellarum fixarum, aut horam cognitam habere oportet. Compoſito igitur globo ſecundũ latitudinẽ regionis,ſi vna ſtella cognita ſit,eius quære altitudinem per quadrantem, & ſimul aduerte in qua parte cœli conſtituta ſit.Secundũ hæc verò globum diſpone,vt ſcilicet ſtella cognita eandem plagam mundi & æqualem altitudinem occupet in globo ſub quarta altitudinum quibus ita manentibus elige quamcunq; ſtellarum ignotarum,ei applica primum quartam altitudinis,& numera eius altitudinem in eadem quarta,deinde conſydera diligenter in qua ſit mundi parte, ſcilicet an in oriente occidente,meridie vel ſeptentrione. Verſus ergo talem plagam mundi oculos coniicias, & quadrante arrepto, vide quænam ſtella in ea parte mũdi tantã habeat altitudinẽ, quantam ex globo percepiſti: nam ea erit ſtella eadem quã in globo vidiſti. Aut contraria lege viſa ſtella in cœlo potes eius nomen ex globo poſtea

ſtea diſcere. Si verò nulla ſtellarum fixarum tibi cognita ſit, oportet (diximus) horã præ-noſcere, qua cognita, admoue gradũ ſolis meridiano, & indicem ad duodecimã horã: poſt hæc volue globum quoad index horarius ad horam peruenerit, globoq́ꝫ ſic fixo operare vt iam diximus.

CAPVT DECIMVM.

Docet quota ſit hora diei uel noctis.

SEd quum variæ nationes, varie ſuas horas ſupputent, oportet diſtinguere paululum. Athenienſes enim diẽ ab occaſu ſolis inchoantur, numerantes. 24. horas vſqꝫ in occaſum ſequentẽ. Babylonii ab ortu ſimiliter ad ortum ſequentem, ſimiliter nõnulli in Germania. Noſtrates ferè omnes à media nocte ad mediam noctem, ſed hi bis duodecim numerant, cum alii. 24. numero diſtinguant. Aſtronomi à meridie in meridiem. Sed omnium ferè eadẽ ratio eſt inueniendi. Primum igitur ſi quota ſit hora à meridie inuenire ſit animus, iunge gradum ſolis (globo primum ſecundũ inclinationẽ poli diſpoſito) ad circulum meridianum. Si ab ortu libeat incipere, hoc eſt, ſi placeat ſcire quot ſint horæ tranſactæ ab ortu ſolis, applica eundẽ gradũ ſolis in linea ecliptica notũ, horizõti ad partẽ orientalem. Si ab occaſu, iunge eundem horizonti verſus occidentem, quocunqꝫ autẽ modo agas ſemper indicẽ cycli horarii cõſtitue ad duodecimã ho-

ram meridiei. Deinde interdiu applica gnomonem sphæricum loco solis in signifero, & circumduc globum cũ sede, aut globum absq; sede quousq; stilus gnomonis nullam diffundat vmbram: Tunc enim index inter horas cycli horarii tibi satisfaciet. Sed interim nõ omittendũ, quod ea pars globi soli obiicienda est, quam idem tempore proposito occupat, scilicet orientalis vel occidentalis, quod facile ex vmbrarum dimensionibus colligitur: Nam si hæ minuuntur, nondum sol meridiem peruenit: Si contra, iam relicta meridie in occasum prolabitur. Nocturnæ horæ, aliter inueniũtur, obseruato tamen eodem quod diximus de indice dirigendo ad horam duodecimam: quo obseruato, accipienda est noctu alicuius stellæ fixæ cognitæ, et quæ in globo descripta est, altitudo: vel per quadrantem, vel aliud instrumentum. Et simul diligenter animaduertendum an stella eadem citra vel vltra meridiẽ consistat: hiis compertis, circumducendus est globus (applicando semper quartam altitudinis loco stellæ) donec stella eadem in globo in simili parte orientali, vel occidentali cõstituta, tantam sub quarta altitudinis altitudinẽ occupet, quantam habere per quadrantem experti sumus, & rursus index horarius quæsitã horã manifestabit. Hæc paulò exactius docere statuims, eo quod in longitudinis regionũ inuentione opus sit perfecta horarũ & minutorum

Nocturnæ horæ.

torum cognitione: Primũ igitur si horas à meridie cupio scire, voluo globum donec locus solis ad meridianũ perueniat: & simul video quotus gradus æquatoris in meridianũ incidat: hunc numerũ scribo (vocant autẽ Astronomi ascensionẽ rectã), deinde ago cum gnomone sphærico pro horis diurnis, aut cũ stellis fixis & quadrante, pro nocturnis eo pacto quo iam dixi, & rursus consydero quotus gradus æquatoris à meridiano secetur, & hunc similiter scribo. Si ergo fuerit post meridiẽ, subduc primũ numerũ, scilicet ascensionẽ rectam à secundo, si possibile sit, quod verò relinquitur, reducendũ est ad horas, et horarũ minuta, hac lege. Partire primum hunc numerũ per. 15. numerus qui producitur horas indicabit, si deinde post partitionẽ aliquot restent graduum, eorũ singuli quaterna minuta horaria valent, dimidius verò gradus duo. Quod si nõ possis primũ à secundo subducere, quod fit vbi primus secundũ excedit, adde secundo. 360. gradus, & deinceps operare per subductionẽ & multiplicationem, vt docuimus. Si denicq; fuerint horę antemeridianę, subducẽdus est secũdus numerus à primo si possit fieri, sin minus, adiiciendi sunt rursus. 360 gradus ad minorẽ: deinde subducendũ, differẽtia verò relicta reducẽda simili modo est ad horas et minuta, numerus denicq; horarũ auferẽdus ex. 12. quod tãdem restat, numerus est horarũ ante meridiẽ.

Noctu autem quomodo cognoscatur an sint horæ ante meridiē vel post, vel an sit ante vel post noctem mediam, facile est videre: Nam si gradus oppositus loco solis in globo transcenderit meridianū, iam certū est solem mediam noctem liquisse, horamq; esse antemeridianam: Si contra, contrarium est.

CAPVT VNDECIMVM.

De *horis inæqualibus.*

Naturalis dies.

DIem Astronomi distinguunt in naturalem & artificialem, Naturalem vocant moram eam quæ est ab ortu solis ad exortum sequentem, vel est reuolutio æquatoris vna circa terrā cum tanta portione zodiaci, quantam interim sol motu proprio pertransiit. Artificialis dies.

Artificialis verò dies est, mora quæ intercipitur inter solis exortum & occasum sequentē, hos dies inuicem inæquales esse, luce clarius constat. Inde fit vt horæ, quibus tales dies dimetiri consueuimus inæquales appellentur. Reliquæ verò æquales vel æquinoctiales. Iam vt ad rem veniamus, si quantitatem diei artificialis, (quam supra docuimus inuenire) diuiserimus in .12. partes, habebimus quantitatem vnius horæ inæqualis, quandoquidem Astronomi omnem diem artificialem & similiter noctem, diuidunt in .12. portiones: quarum cuilibet tribuunt dominium vnius de septem planetis, sequentem verò sequenti adsignant planetæ. Hinc dierum nomina orta sunt:

Nam

Nam primæ horæ ab ortus solis die lunæ, tribuunt Lunam, sequenti Saturnum: & ita deinceps ad viginti quatuor horas, post quas prima hora cedit Marti, qui nomen dedit sequenti diei. Vt autem exactius hæ horæ distinguantur, reducatur quantitas diei ad minuta, & productus numerus diuidatur per 12. numerus qui inde oritur erit quantitas vnius horæ inæqualis. Deinde si omnes horas æquales libeat reducere ad inæquales, Reducãtur semper horæ æquales quæ transierunt ab ortu solis ad minuta, & totus numerus diuidatur per quantitatẽ vnius horæ inæqualis, videbimus facile quota sit hora inæqualis, & quotus planetarum ei præsit horæ: Noctu similiter agendum est diuisa quantitate noctis in 12. si deinde animaduertamus quota sit horarum æqualium ab occasu, reductumq; numerum horarum diuidamus per quãtitatem horæ inæqualis noctis. Hæc cum parui sint momenti, leui quod aiunt brachio pertranseo.

CAPVT DVODECIMVM.

A qua parte oriatur, uel occidatur sol, uel quælibet stellarum.

SOlem non semper eodẽ oriri vel submergi loco, neminem puto nescire: inde fit vt triplex oriens, & similiter occidens distinguatur apud Gellium & omnes autores: Æquinoctiale vocant vnde sol emergit quũ in æquatore consistit, quo verò occidit, occidẽs æqui-

Oriens triplex, æquinoctiale, æstiuum, hybernum.

noctiale. Æstiuum vocant vbi sol horizõtem contingit cùm iam Cancrum ingrediens, solstitium æstiuum efficit. Hybernum verò cũ in Capricorni principium inciderit. Quantũ verò hæ plagæ orientis & occidentis ab æquinoctiali oriente dissideant, incertum est diffinire, cũ in quauis regione variẽtur. Sed per globum nostrum hac arte discutiemus. Dispositio priùs globo secũdum eleuationẽ poli, efficio, vt locus solis eius diei quo distantiam ipsius à vero oriente vel occidente scire cupio, contingat finitorem ab oriente: deinde video facile, à qua parte mundi oriatur sol, aut quot etiã gradibus distet à vero oriente, vel versus Aquilonem, vel versus Austrum, numerando gradus finitoris qui sunt inter ipsum oriens verũ & locum solis. Ioannes Schoner talem distantiam ab oriẽte vel occidente (nescio qua ratione) vocat zenith ortus, vel occasus. Vbi cunq; autem circulus Cancri finitorem cõtingit ab oriente, ibi est oriens æstiuum: vbi verò in occidente coierit, ibi est occidens æstiuum. Contra tropicus vel circulus Capricorni, distinguit oriens & occidens hybernum. Æquator autẽ verum oriens, quod semper in eodẽ est loco. De ortu autem stellarum, & occasu non alia ratio est q̃ de sole diximus: Sed plures stellæ in quibusdam regionibus nunq̃ oriuntur aut occidunt, quod facile erit deprehendere si voluamus globũ quo stella incidat in meri-

Stellarum ortus.

meridianū circulum versus Aquilonē: si enim cernatur ibi supra horizontem nunquā ea occidet in tali regione, secundū cuius latitudinē eodem tempore globus compositus est.

CAPVT XIII.

De *altitudine syderum.*

ALtitudinem vocamus nō vt vulgares quot scilicet stadiis sol à terra sit remotus, sed quot gradibus centrum eius horizontem sub se relinquat. Aptato igitur globo pro latitudine qualibet, si solis vel syderis cuiusuis altitudinem desideras maximam, quum scilicet in meridianum incidit, admoue tale sydus in sphærico corpore designatum, ad circulum meridianum, pro sole verò locum solis adhibe. Deinde applica eidem quartam altitudinis, in qua videbis altitudinem quæsitam, vbi scilicet locus solis aut alterius syderis eam cō tingat. Quocunq; verò tempore si libet altitudinem habere, Siste primo gradum solis in zodiaco notatum, ad circulum meridianū, & simul indicem cycli horarij ad. 12. meridiei horā. Post hoc circunduc globum, quoad index ad horam peruenerit qua altitudinem ipsius syderis petis, globoq; paululum fixo, adiunge loco solis aut syderis cuiusuis quartam altitudinis, & voti cōpos eris. Vt sole existente in. 15. gradu Arietis, si eius altitudinem maximā siue meridianam placet habere, collocetur. 15. gradus Arietis ad circulum meridianum, & coniunga. Exemplum.

iungatur ei quarta altitudinis, videbitur altitudo. 44. graduum, &. 56. minutorum in latitudine. 51. graduum. Rursus globo permanente in tale situ, locetur index horarius super duodecima hora meridiei, hinc circũagatur globus, quousque index horam quartam pomeridianam contingat, si tunc altitudo solis petatur, applicando quartam altitudinis loco solis, videbitur. 23 graduum &. 15. minutorum. De reliquis syderibus & horis idem esto iudicium.

CAPVT XIIII.

Docet in qua parte cœli sydus aliquod situm sit, & quot gradibus à meridiano absit.

HVius inuentio parum à superiori differt, nam constitutis omnibus vt ibi docuimus de altitudine inuenienda ad singulas horas, ipsius quartæ altitudinis extremum iuxta horizontem indicabit in qua parte cœli sydus ipsum consistat. Quantũ verò absit à meridiano ita inuestigabis, seruatis oĩbus quæ diximus. Notetur gradus æquatoris qui sub meridiano est, deinde voluatur globus donec sydus de quo agitur sub meridiano collocetur. Si iam numerentur gradus qui inter meridianum & punctum notatum intercipiuntur, habebitur distantia ipsius à meridiano, quorũ graduum. 15. vnam horam conficiunt, reliqui quaterna minuta: atq; in tanto tempore ipsum sydus meridianum perueniet, aut si vltra meridianum fuerit, tot horis prætergressum est.

CAPVT XV.

In qua parte sydus quoduis situm sit, & quantum à uertice distet, & alia.

LOcato loco solis sub meridiano & indice horario ad duodecimam: Si deinde circumagas globum, vt index horarius horã propositam contingat, locoq; solis aut cuiusuis syderis quartam altitudinis applicueris, videbis in horizonte versus quam partem cœli tale sydus consistat indicante quarta altitudinis vbi horizontem contingit. Si verò ipsum sydus meridiano adiũxeris, videbis quot gradibus à vertice distet, cùm ipsum erit in maxima altitudine, numerãdo inquam gradus meridiani qui sunt inter punctum verticis & syderis locum. Rursus de syderibus quæ raro occidunt, si talia meridiano applicueris versus septentrionem, deinde globum cum meridiano circumagas, donec tale sydus horizõtem cõtingat, videbis lucide eleuationem poli regionis eius in qua quidem tale sydus in horizonte conspicitur, sed tamẽ non submergitur. Itẽ de syderibus quæ nobis nõ veniunt in conspectum. vt sunt Canopus, Centaurus, &c. si ea meridiano coniunxeris versus meridiem, deinde deprimas per meridianum polum arcticum versus horizontem quoad talia sydera supra horizontem appareant, videbis inter horizõtem & polum gradus latitudinis eius regionis, in qua talia sydera conspici possunt.

Quæ

Quæ latitudo cuius sit regionis facillimi est iu dicii. Nam si tot gradus ab Æquatore versus polum in meridiano supputaueris, & loco latitudinis talis stilum admoueris, stiloq; ibi manu retento si globum circumagas, quascunq; regiones stilus ille trāsierit, illæ sunt in quibus talia sydera interdū videri possunt supra horizontem.

CAPVT XVI.

Qua arte locus Lunæ uisæ, uel cuiuscunque stellæ ignotæ situs deprehendatur.

ANimaduerte an sydus visum (sit in exemplum luna) orientale sit an occidētale, hoc est, an citra vel vltra meridianam lineam consistat: idq; facile efficies locato globo secundum cœli partes, per capitis tertij legem. Deinde altitudinem eiusdem supra horizontem addisce, artificio quadrātis, vel cuiuscunq; alterius instrumenti astronomici. Præterea eiusdē lunæ distātiam ab aliquo alio syderum octauæ sphæræ, quod quidem in globo fixum est, tibiq; cognitum, huiusq; syderis altitudinem supra horizontem. Distātiam autem syderum per baculum astronomicū, cuius formationem Io. Vernerus in paraphrasi super. 1. lib. Ptol. & post eum Petrus Appianus docet, inuestigabis. Aut si talis forte tibi negetur, quo quo modo per circulum diuisum in. 360. partes cum indice volubili rem expedies: Si scilicet hunc circulū ita figas alibi, vt superficies ipsius

Distantia syderum.

ipſius (aſpectu diiudicante) per vtriuſque ſyderis locum tranſire intelligatur. Viſa etenim per pinnacidia indicis primo Luna, locoq; in circulo notato, ſi deinde indicem ad alterum dirigas ſydus circulo fixo permanente, in gradibus circuli apparebit diſtantia inter eadem His habitis, & globo ſecundum eleuationem poli compoſito, ſtella fixa ſub ſua altitudine inuenta, & in latere debito conſtituatur per quartam altitudinis: mouendo ſcilicet globū cum quarta altitudinis, donec ſtella fixa ſuæ ſubiiciatur altitudini inuentæ: Deinde globo fixo permanente, quartam altitudinis ad latus globi quod Luna occupat, applica, & altitudinem eiuſdem Lunæ prius inuentam in eadem ſigno quouis nota. Poſt hæc circinum ſecundum gradus Æquatoris diſpeſce, ad quantitatem diſtantiæ ſyderum inuentæ, & pedem alterum circini ſuper loco ſyderis noti in globi ſuperficie loca: alterum verò verſus quartā altitudinis dirige, ipſamq; quartam remoue, vel adduc donec notam altitudinis Lunæ cū libero pede circini coniungere poſſis. Tum nota altitudinis locum Lunæ in globo oſtendet. Quod de Luna diximus, de quouis ſydere ignoto dictum volumus. Aliter abſq; altitudine ſyderum. Quære diſtantias Lunæ à duobus quibuſcunque notis ſyderibus, & ſuper vtroque, ſecundum Lunæ diſtantiam circulū obſcurum in globi gibboſitate ducas: ſecabūt

Alius modus.

ergo

ergo se hi circuli in duobus locis tantum, quarum sectionum altera locum lunæ indicabit, Vtra verò pro loco habenda sit, facile ex aspectu iudicare fuerit: Hac arte oĩa sydera quæ inferiori hemisphærio infiguntur, Ptolomæo, aliisq; incognita per nostri sæculi nautas in globum depingi facile possent. Et per eandẽ Planetarum loca inueniuntur, tam secundum latitudinem, quàm longitudinem.

CAPVT XVII.

De *longitudine regionum inuenienda.*

INuento loco Lunæ, consyderanda est hora qua eadem talem locum occupet. Deinde ex Ephemeridibus, aut tabulis Alphonsi quota hora Luna in alia regione, aut oppido alio, cuius longitudo nota est, ipsa Luna eundem locum signiferi ingrediatur: Reductis deinde horis ad. 24. minor numerus horarum de maiori subducendus. Quod verò relinquitur ex horis & minutis ad gradus reducendũ est, hac lege. Multiplica horas per. 15. minuta verò horaria partire per. 4. proueniẽt gradus æquatoris inter duos meridianos intercepti. Minuta si quæ post partitionem supersint, per 15 multiplica, prouenient minuta graduum. Hanc verò differentiam longitudinis inuentam, adde ad longitudinem regionis cognitã, si eius loci horæ fuerint plures: aut deme ex eadem longitudine si minores fuerint, colliges tandem longitudinem loci ignoti, ab insulis fortu-

fortunatis. Facilius quidem & promptius idē per globum inueſtigatur geometrice, hac arte. Locū cuius nota eſt longitudo in globo inuétum ſub meridiano collocato, indicem qui circum polum mouetur ad horam qua Luna locum præfinitum in tali regione occupat dirigito, deinde globum conuertito donec index horarius ad horam peruenerit, qua quidem tu locum lunæ ignotum quæſieras: gradus æquatoris à meridiano mobili interciſi longitudinem regionis quæſitam aperient. Certiſſima tamen via qua longitudinum differētiæ inueniuntur ea eſt, quæ per idem aliquod quod in omnibus regionibus eodem momento appareat, vtpote per eclipſes lunæ procedit. Cognitis enim diuerſis horis quibus hæc in diuerſis regionibus contingit, non alia ratione longitudo aut arithmetice aut geometrice, quàm per præcedentem proxime canonem inuenitur. Verùm quum hæc neq; ſemper neq; omnibus appareat, deinde præcedēs modus ſic ſatis difficilis ſit, neq; idem ſemper promptus propter lunæ coniunctiones, atque adeò interdum nōnihil à rei veritate deficiat, propter diuerſitatem aſpectus, & latitudinem lunæ: fit vt longitudines multarum regionum præcipue earum quas nuper Hiſpani adiuére, incertas aut penitus nullas habeamus: neque enim ex itinerum dimenſionibus flexuoſis certi quicquam colligi poteſt, confirmante id Ptolomæo lib. pri.

Aliter per globum.

Certiſſima ratio per Eclipſes.

Cosmographiæ Subnectam igitur aliquid domi nostræ natum, quo facili via & quouis tempore longitudines regionum inter proficiscẽdum inueniuntur.

CAPVT XVIII.

De *nouo modo inueniendi longitudinẽ.*

NOstro sęculo horologia quędam parua adfabre cõstructa videmus prodire, q̃ ob quantitatẽ exiguã proficiscẽti minime oneri sunt: hæc motu continuo ad 24. horas sæpe perdurant, imò si iuues, perpetuo quasi motu mouebuntur. Horum igitur adiumento hac ratione longitudo inuenitur. Primo curãdum vt priusquam itineri intendamus, exactissime horas eius loci obseruet à quo proficiscimur. Deinde vt inter proficiscẽdum nunquam cesset. Completo itaque itinere 15. aut viginti miliarium, si quatum longitudine distemus à loco discessus libeat addiscere, Expectandum donec index horologii punctum alicuius horæ exactissime pertingat, eodemq; momento per astrolabium, aut globum nostrum inquirẽda est hora eius loci in quo iam sumus: quæ si ad minutum conuenerit cum horis quas horoscopium indicat, certum est nos sub eodem adhuc esse meridiano, aut sub eadem longitudine, iterq; nostrum versus meridiẽ vel Aquilonem confeciſſe. Si verò differat vna hora, aut aliquot minutis, tum hæc reducenda sunt ad gradus, vel graduũ minuta, vt in prędẽti

capite

capite docuimus, & sic longitudo elicienda. Hac arte possem longitudinem regionum inuenire, etiam si per mille miliaria inscius essem abductus, ignota etiam itineris distantia: sed tum prius latitudo (vt semper) est addiscēda.

CAPVT XIX.

De *locorum distantiis*.

LOcorum intercapedines nullo ferè negotio ex globo deprehendimus. Extensum namq; circinum ab vno locorum in alterum, applicamus deinde æquatori, & quot gradus comprehenderit notamus. Hos gradus in 15. miliaria germanica vel 60. Italica ducimus, & producitur numerus miliarium inter duo loca contentorum. Iam vnum miliare Italicū constat mille passibus vel octo stadiis. Stadiū 125. passibus. Passus 5. pedibus. Pes 4. palmis. palmus totidem digitis. Demum digiti latitudo quatuor granis hordeaceis in latus dispositis æquatur. Ex his facile fuerit miliaria in passus, vel in quodlibet genus mensuræ reducere. Quod si oppidorum distantiæ dimetiendæ veniant eorum, quorū globus ob angustiā loci capax minimè est, cōsule tabellā ciuitatū huic nostro libello insertam, aut tabulas Ptolomei: Ex his lōgitudines, & latitudines locorū addisce, quorū distantias dimetiri animus est, & secūdū eas in globo loca pūcto delebili describe hoc scilicet pacto. Lōgitudinē ipsius loci in æquatore nota: deinde circūduc globū,

vt talis longitudo ipsi meridiano subiiciatur. Latitudinem verò in eodem meridiano inuenies, sub qua in globi superficie punctum describes, quod eius loci situm ostendet. Eadem etiam ratione cuiuscunque alterius loci situm in globo deprehendes, & deinde distantiam dimetieris vt iam docuimus. Atque hæc de distantiis rectis intelligenda sunt. Alioqui distãtiæ tales per partes metiẽdæ essent, quod cùm cuiuis facile erit, omittimus.

CAPVT XX.

Versus quam partem una regio ab altera uergat.

COnsueuerunt hydrographi & nautæ, in plano, terræ protractum deliniare, dissecantes eandem mille lineis, in nullum alium vsum, quã vt ex tali descriptione in promptu habeant quorsum quæuis regio spectet, vt tanquã in scopum eo suam proram dirigant. Verùm id multo cõmodius exactius & certius artificio globi efficiemus. Nam hic ab omni loco in omnem partem lineas ducere possumus quod illic non sine magna rerum confusione fieri potest. Adde etiam quod nunquam tanta arte in plano regiones describi possint, quin aut distantiæ locorũ, aut longitudines regionum multum à rei veritate absint, aut locorũ situs ab inuicem (quos marini plurimũ curãt) omnino negligãtur, idq; si rectis lineis, vt ipsi conantur, hæc describere velint. Horum autẽ nullum

Cartę marinæ falsæ.

nullum in globo accidit, imò omnia optimã ſymmetriam ſeruãt. Vt igitur ad rẽ veniamus. Primum locũ in quo ſumus, aut cui aliam regionem conferre volumus, ſub meridiano mobili locamus, & ſecundum latitudinem ipſius polum globi ſupra horizontẽ extare facimus. Deinde affixa quarta altitudinis ad meridianum, ita vt inſtrumentum cui adhæret, regioni præſcriptæ immineat, globoq; fixo perſtante, circunducimus quartam altitudinis verſus alteram regionẽ cuius ſitũ à priori deſideramus. Pes ipſe quartæ altitudinis in horizonte inter ventos oſtendet quorſum hæc regio ab altera ſpectet. Hac arte inuenio quod Hiſpaniola inſula ab Hiſpania ferè in occidentem verũ ſita ſit, hoc eſt, decima parte quadrãtis verſum meridiem ab occidente, quam in cartis marinis video quarta parte quadrantis ab occidente recedere. Imò ſi ſeruata adhuc eſſet latitudo q̃ penè ſex gradibus ab obſeruationib⁹ Hiſpanorũ abeſt, multò plus aberraret à ſitu vero.

CAPVT XXI.

De *maris augmento, & decremento.*

FIdem excedit, Lunæ vim tantam inditã eſſe, vt quæ tanto remota interſtitio, Oceanũ tamen omnem penè ſecum ducere videatur. Id enim pro cõperto habemus in noſtris regionibus maritimis luna exoriente mare intumeſcere, & verſus interiora regionũ & continentis vndabundum irruere, donec eadẽ meridia-

ridianam lineam occupet. A qua dum versus occasum delabitur, oceanum rursus pedetentim regredi & cõsidere, vsq; dum luna nostrũ conspectum egressa, antipodibus oriatur. Nã tunc denuò mare æstuat, ac si aluum suũ egressurum foret. Cum rursus luna mediæ noctis lineam peruenerit, indeq; ad nostrũ hemisphæriũ ascendit, oceanus compositis fluctibus sese in locum suũ recipit, fitq; hoc pacto vt. 25. horatum spacio ferè plus minus bis oceani accessum & recessum videamus. Si ergo tẽpus augmenti maris & similiter decrementi ex globo colligere placeat, in primis locum solis & lunæ in promptu habeas, aut ex tabulis, aut quocunq; ingenio. Quibus datis volue gradũ solis in linea ecliptica inuẽtum, ad meridianum, itaq; paululum permanente, siste indicem horarium super linea duodecimę horæ: Post hęc circumduc globũ, vt locus lunæ (secundũ longitudinem & latitudinẽ in globo designatus) in exortu supra horizontem emineat. Interim index inter horas indicabit qua mare intumescet. Si deinde cum loco Lunæ ad meridianũ pergas, videbis per eundem indicem tempus recessus. Rursus si locũ lunæ ad occasum perducas, tempus accessus patefiet. Deniq; si oppositum gradum ad meridianum colloces, decrementi certior eris. Id tamen notandum puto, ex motu lunæ veloci (nisi aliquid addas ipsi) magnam, sæpe diuersitatem accidere. Igitur

pro sin-

pro singulis binis horis quas index inter mouendum percurrit loco lunæ vnũ gradum adiicias, itaque nullus error euidens cõmittetur. In vasto tamen pelago non eandem omnino rationem motus obseruari audiuimus. Nam sæpe ventorum impetu versus quamcunque partem mundi mare rapitur: Sæpe etiam natura loci eadem perpetuo labitur via. Nonnunquàm contrariis fluctibus ex diuersis partibus confluit & conflictatur. Demum etiam hi qui interiora regionum colunt, vt si Mechlinienses ad Antuerpianos cõferamus, posterius accessum & recessum percipiunt quàm maritimi, sed talis scilicet differentia vbi semel animaduersa fuerit facile perpetuo obseruatur.

CAPVT XXII.

De signo ascendente, & reliquis domiciliis cœlestibus.

VEteres ferè omnes totã machinã cœlestẽ in duodecim partes, seu domos sex circulis diuiserunt, quorum duo sunt meridianus & horizon, reliqui per ipsas sectiones meridiani & horizontis trãseunt, hoc est, per duo puncta horizontis in quibus cũ meridiano circulo coit, atq; in tãta ab inuicem distantia, vt in tricesimo æquatoris gradu ab horizõte deorsum sit initiũ secũdæ domus, in sexagesimo initiũ tertiæ, in meridiano sub horizonte, quarta domus incipit, deinde in tricesimo à meridiano versus occasum quinta: in. 60. deinceps

sexta,in horizõte versus occasum septima:deinde.30 gradibus octaua,&c. Sunt tamen qui aliter paulò distinguant,hoc est,eas diuisiones quas nos in æquatore cõstituimus ipsi in circulo sumũt q̃ transit per punctũ verticis, & per oriens verũ & occidens. Vtroq; autẽ modo potes per globũ operari.Si priori modo, quẽ rationalẽ appellant procedere placet, primũ loca solis gradũ sub meridiano circulo,& indicẽ cycli horarij sup.12.hora meridiei,deinde circũduc globũ cũ indice ad horã,qua ascendẽs signũ & reliqua domicilia distinguere cupis,globoq; ita fixo videbis in exortu in linea ecliptica gradũ & signũ ascendens,& initium primæ domus.Sub meridiano vero,gradũ medij cœli,qui idẽ est initiũ decimæ domus. Hi idẽ gradus sed signi oppositi sunt initiũ quartæ domus aut anguli noctis,vt ipsi dicũt: gradus verò qui cõspicitur in horizõte occiduo, est initiũ septimæ domus. Pro reliquis domibus ita agito. Diximus opus esse pro pfectione huius globi semicirculo æneo, qui duabus sectionibus horizõtis,& meridiani sit affixus tali arte,vt aut eleuari aut deprimi posset,& etiã in vtrumq; latus trãsferri: affigatur itaq; ad partem orientalem, & globo perstante,vt prius numerentur in æquatore. 30. gradus supra horizontem,quibus adiungatur hic semicirculus positiõis, qui in linea ecliptica initiũ duodecimæ domus distinguet, cuius oppositũ

initium

initium eſt ſecundæ domus. Progrediendo de inde adhuc. 30. gradibus in æquinoctiali cum circulo poſitiõis, habebimus initiũ. 11. domus, cuius oppoſitũ eſt initium tertiæ domus. Quarta et decima domus dictę ſunt. Pro reliquis domibus transferatur circulus poſitionis ad partem occidentalem globi, et ſimili ratione agatur qua diximus. Pro poſteriori deniq; modo qui non tam eſt in vſu applicetur primo circulus poſitionis vt prius, & quarta altitudinis dirigatur ad verum oriens in horizonte, in qua numerentur. 30. gradus pro duodecima domo 60. pro vndecima, & his addatur ſemicirculus poſitionis, vt in priori modo. Deinde transferatur & ſemicirculus poſitionis & quarta altitudinum verſus occaſum et procedatur ſimili via qua prius. Hæc ad iudicia ſpectant.

CAPVT XXIII.

De *directionibus*.

HÆc cum non vulgaria ſint, ſed iis tantum neceſſaria qui in Aſtronomiæ vulgares multis paraſangis poſt ſe reliquerunt et qui facile intelligunt, paucis perſtringã. In primis pro gradu reuolutionis cuiuſcunq; principii inueniẽdo, ita agas. Gradum aſcendentem talis principii ad horizontem in oriente loca, & nota gradũ æquatoris, qui meridiano ſubiacet, quibus pro ſingulis annis futuris, adiice gradus. 87. & mi. 18. Pro denis ſingulis. 153. gradus, mi. 9. Pro. 20. annis, gradus. 306. mi. 10. Pro

Gradus reuolutionis

centenis annis, grad.91.mi.33.numerus autem hinc collectus si vltra.360.excreuerit, abiice 360.quoties possibile fuerit, numerus demum relictus,in æquatore inuentus, collocetur iam sub meridiano,& quicunq; gradus supra horizontem exurgit, est gradus reuolutionis pro tempore quæsito & eleuatione poli, secũdum quam globum composueras. Pro directiõe significatoris ad locum præscriptum sic proceDirectio significatoris.das:Constituto ascendẽte in horizonte,applica circulum positionis significatori,si nõ sit in aliquo angulorum,nam alioqui opus non est, & fac vt aut cera, aut alio instrumento circulus ita figatur, & nota gradum æquatoris qui ab eodem circulo positionis secatur. Quo facto,semicirculoq; positionis permanente,volue globum,aut secundum signorũ seriem,si significator fuerit progressiuus:aut cõtra signorum ordinem, si significator fuerit retrogradus, donec locus promissoris sub eodem circulo positiõis collocetur,& vide quot gradus æquatoris sint in æquatore à circulo positionis,ad notatos prius gradus secundũ eum ordinem quo significator progreditur:Nam illi directionem quæsitam ostendunt. Composito globo vt iam diximus,si libet inuenire ad quẽ gradum zodiaci directio significatoris peruenerit, posito primũ ascendente in horizonte, & semicirculo positionis super loco significatoris:adde ad gradus æquatoris qui sub meri-Ad quẽ locũ directio significatoris peruenerit.

diano

diano sunt, tot gradus quot sunt anni à principio natiuitatis, idq; pro directiõe directa: aut deme ab eisdẽ pro directione retrograda: deinde numerũ graduum æquatoris postremũ, colloca sub meridiano, & videbis sub circulo positionis ad quem locum zodiaci directio significatoris peruenerit. Quantum deniq; eleuetur polus mundi supra circulum positionis, potes aut circino dimetiri, aut regula papiracea, aut affigendo polo mundi laminam æneam similem quartæ altitudinis diuisam in 90. gradus à polo inchoantes. Sapienti dictum sat est.

TERTIA PARS
DE ORBIS DIVISIONE.

CAPVT PRIMVM.



ORbis habitabilis portio, à veteribus omnibus in tres diuisa fuit præcipuas partes: scilicet Europam, Asiam, & Aphricam: quibus nunc quartam adiungimus cæteris nõ imparem Americam. Europam licet omnium minimam primum describere solent Geographi, quum ob frequentiores in ea cultores, tum ob præclara eorum gesta qui hanc incoluere.

Europæ descriptio.

Aliæ

Aliæ enim partes licet maiores ac vastiores pateant, minus tamen sunt habitatæ, adeo quidem vt quæ de Asiæ maiori parte tradantur, fabulæ loco habeantur: Similiter de Aphricæ parte quæ in Austrum vergit. Americæ verò quasi Megarensium nulla apud eos fuit mentio facta. Terminatur autem Europa vndiq; ferè pelago: ab occidentis enim parte oceanum habet occidẽtalem aut Vergiuum, deinde mare Cantabricum: à boreali Aquitanicũ & Britannicum: à septentrione Germanico alluitur oceano & hyperboreo: pars oriẽtalis ab Asia Tanai fluuio dirimitur, qui ex montibus Hyperboreis prorumpẽs in paludem Mœotidis decurrit. Idem hic fluuius à Barbaris Silis dicitur & Vola: Deinde palude ipsa Mœotidis clauditur, postea Cimmerio Bosphoro, ponto Euxino: hinc propontide & Hellesponto: sequitur deinde mare Ægeum. Partem quæ Austrum aspicit mare mediterraneum ab Aphrica seiungit: quod varia tamen interim pro locorum, nationum, insularum, euentorumq; diuersa ratione nomina sortitur. Post Ægeum sequitur Mirtoum, deinde Lybicũ vel Punicum, deinde magis in occidentem & boream mare Hadriaticum vel mare Superũ vel Venetum: Sub Italia mare Tyrrhenum aut inferum, Liguſtricum, Sardoum, Siculum à Sicilia, Balearicum, ab insulis illius nominis: postea Ibericum ab Hispania, quæ Græcis Iberia ab Ibero flu-

Tanais fluuius.

ro fluuio dicta fuit. Demum quod angusta via Iberiam à Mauritania separat mare, Herculeum fretum à geographis dicitur, nunc verò strictum Sibiliæ. Hęc de Europæ descriptione aut circunscriptione animo hærere oportet, vt sciamus, & in promptu habeamus quæ regio, aut quis mons, cuius sit partis mundi, si forte aut scribere aut dicere aliquando animus fuerit, quod quidem Momi auribus dignum erit. Figura autem continentis ipsius Europæ, draconis ferè effigiem reddit, cuius caput in occidentem spectat, & vtrinq; in Austrum aduersamq; partem alas expandit, quæ sunt Italia, & Cymbrica Chersonesus. Partes autem Europæ præcipuæ sunt Hispania, Gallia, Italia, Rhætia, Vindelitia, Pannonia, Dacia, Græcia, Sarmatia &c.

Strictum Sibiliæ.

Partes Europæ.

CAPVT SECVNDVM.

De *Hispania*.

HIspania quæ & Iberia, prima pars continentis vndique oceano clauditur, nisi vbi Pyrenæi montes ipsam à Gallia separant ac disterminant ab ortu videlicet: ab occasu enim habet oceanum occiduum: à septentrione Cantabricum: ab opposita parte mare mediterraneum. Ptolemæus hanc in tres diuisit partes, sicut etiam Strabo, & plerique veterum: scilicet in Bethycam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Nonnullis in sex, aliis in quinq; diuiditur partes: vt in Carpentaniam, Bethycam, Lusi-

Lusitaniam, Calecią, Tarraconensem, & Carthaginensem. Bethyca aliis Betica à Bethy fluuio qui mediam abluit nomen sortita est, nūc
Granata. regnum Granatæ vocatur. Disterminatur autem à Lusitania, fluuio Ana: deinde recta linea ad Balearem vsq; ciuitatem: reliqua latera mari occiduo & Herculeo freto includuntur. Hanc regionem Plin. lib. 3. Italiæ confert, quod pulchritudine regionis, ingeniorum fœcunditate, fructuum magnitudine facile cæteras regiões antecellat: tum quia in vicino fortunatæ insulæ adsunt, tum etiam quia quarto climati subest, quod optimam ad omnia temperiem præstat. Hæc item regio Plinio in vltteriore Hispania continetur cum parte aliqua Lusitaniæ, Huic vicina est in mari occiduo non longe à continenti insula fertilis oleastri
Gades insula. Gades, græcis Γαδείρα: Dionysio Cotynusa, Volunt alii dictam fuisse Erythream. Lusitania à lusu Liberi patris dicta, habet à Septentrione Tarraconensem Hispaniā diuisam ab ea Durio fluuio: hinc linea ad Anam fluuium latus orientale finit: Anas verò fluuius meridionale: demum occidentalis pars oceano alluitur
Portugalia occiduo. Hanc nostra ætas Portugaliam vocat: vnde & hodie ad insulas Moluccas sub India sitas nauigatur. Vnicus in ea est mons lunæ, in latere occiduo situs, vnde promontorium Lunarium. Tarraconensis Hispaniæ tertia pars, habet à meridie mare Balearicum, ex

aduer-

aduerso Cantabricum: ab occasu occiduum, & partem Lusitaniæ: ab ortu Pyrænæos montes qui Galliæ obiiciũtur. Tota hæc pars quinque iam regna complectitur, Gallitiam primã ab occidentali parte, regnum Nauarræ statim à Pyrænæis montibus supra Durium fluuium, qui nunc Dorias dicitur: Regnũ Castellæ, aliis Castiliæ inter Gallitiam & Nauarræ regnum in gradibus longitu. 12. lat. 42 Regnum Catelloniæ supra Baleares insulas ad mare nostrũ, siue Ibericum. Regnum Tarraconense, quod alii omissa vnica litera Aragoniæ dicunt, proximum etiam à mõtibus Pyrænæis, verum ad partem meridionalem, ita vt mare nostrũ ipsum alluat. Fluuii Hispaniæ partim dicti sunt. Est prẽterea Tagus fluuius notus ab auri arenulis. Item Iberus fluuius ex Vindio monte in mare Balearicum progreditur. Idem mons nunc Ronciuallis dicitur & Rauanella. Demum sub Tarraconensi Hispania, duæ iacent insulæ non longe dissitæ Baleares, quarũ quæ magis spectat in occidentem maior aut maiorica dicitur, reliqua minor aut minorica.

Gallicia.

Nauerra.

Castellæ

Catellonię.

Tarraconię

Tagus flu.

Iberus flu.

Baleares.

Maior

Minor.

CAPVT TERTIVM.

De *Galliæ terminis.*

DEscriptis Hispaniæ limitibus nõ solum secundum Ptolemæi, Plinii, Strabonis, aliorumque scriptorum classicorum opiniones, verum etiã secundũ neotericorũ assignationem

tionem, occurrit proxima Hiſpanis Gallia: cuius latus occidentale Pyrænæis montibus ab Hiſpania, oppoſitum Rheno fluuio à Germania diſterminatur. Reliqua duo latera oceano & noſtro mari includuntur. Atq; hic fuit antiquioribus limes Galliæ, nunc non eouſq; protenditur, verum magna pars Germaniæ inferiori acceſſit: vt Hannonia, Flandria, Brabantia, &c. Cæſar omnem Galliam in tres diuiſit partes, Aquitaniam, Celticam, & Belgicam. Aquitaniam diſtinxit à Celtis Garũno fluuio, Has à Belgis Sequana fluuio, Belgas demum à Germanis fluuio Rheno. Ptolemæus verò, ac poſteriores Geographi quatuor adſignant partes Galliæ: ſcilicet, Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam, ac Narbonenſem. Aquitaniæ fines deſcribunt, ab occaſu oceanus Aquitanicus: à ſeptentrione & ortu Liger fluuius: à meridie tum Pyrænæi montes, tum etiam Narbonenſis Gallia. Diſtinguitur hodie in has prouincias, Auerniam, Guaſconiã, Andegauiam, Borboniam, Armiacum, Barim. Populi verò eius ſunt Bituries, Vaſcones, Aucrni, Lemouici, Pictones & nonnulli alij. Lugdunenſis Gallia finitur oceano Britannico à ſeptentrione: ab occaſu partim oceano, partim Aquitaniæ dictis terminis: ab ortu Sequana fluuio: ab auſtro Narbonenſem Galliam habet diuiſam ab ea Iura monte. Huius populi olim fuére Cenomanni, Rhedones, Nãnetes, Curioſolitę, Nunc verò

Diuiſio Galliæ.

Aquitania.

Auernia.

verò Normandiam ad partem orientalem & septentrionalem, iuxta Sequanam fluuium cõtinet: Item Britanniam (cuius etiam Plinius mentionem facit) ad occidentem et boream: sub hac verò Turoniam, & populos Consopitenses & Ambios. Belgica veterum descriptione à septentrione Britannicum oceanum: ab occasu Lugdunensem Galliam discretam ab ea flumine Sequana: ab aduersa parte Rhenũ fluuium: Deinde à meridie Narbonensem Galliam habet. Diuiditur nunc in plures prouincias: scilicet in Picardiam proximam à Sequana fluuio ad oceanum ferè Britannicum: In Campaniam deinde magis austrálem apud eundem fluuium: In Borgondiã, quæ ferè Narbonensem attingit Galliam apud fluuiũ Ararim qui Rheno coit, in quo situ Ptolemæus Mediomatrites, Lingones, Sequanos, & Eluetios posuit: Picardiæ loco Ptolemæus Ambianos posuit, Atrebates, & Cameracenses: Pro Campania. Bellouacos, Vessonos, Rhenos locauit & Romandros. Continet autem Belgica plures alias prouincias, quas nostra ætas Germaniæ attribuit inferiori, vt Flandriã & Hannoniam ad oceanum Germanicum, vbi Ptol. Morinos & Tongros descripsit, atque vt ait Volateranus, Bellocassios. Postea magis in ortũ & aquilonem Hollandiã: subqua Brabantiam Menapiorum loco, sub grad. long. 26. mi. 30. la 51. min. 30. Geldriam vel Sicambros ma-

Normandia.
Britannia
Turonia.
Picardia
Campania
Hollandia
Brabantia
Geldria.

Vastum renum. gis in ortum. Hinc ad austrum Lutzenburgensis ducatus continetur apud Rhenum fluuium, vbi Ptol. Nemetos descripsit. Hinc adhuc magis in Austrum Lotaringia est, cuius populi Raurici dicti sunt. Item Alsatia vini optimi ferax, neq; frumenti indiga, in grad. 28. lat. 48. Hinc etiam atque etiam versus meridiem apud fontes Rheni atq; Alpes, Suitia siue Suiceri, veteribus Heluetii Marte clari. Hæ verò posteriores prouinciæ: Germania superioris sunt partes: Illæ verò, inferioris: cuius populi moribus ac linguis proxime accedunt ad Germanos: imò vult Pli hanc Galliæ partem per M. Agrippam populis transrhenanis occupatam fuisse. In hac Galliæ parte ingens est sylua (Arduennam vocant) 30. miliaribus ab austro in septentrionem protensa, cuius medium habet grad. lon. 26. mi. 40. lati. verò. 49. mi. 24. Sequitur nunc quarta Galliæ pars Narbonensis, quæ & Transalpina Cæsari dicitur, ab occasu montibus Pyrænæis contenta. E regione Alpibus: à septẽtrione Lugdunensis & Belgicæ Galliæ parte: A meridie mari Gallico. Continet nunc regiunculas, Prouinciam et Delphinatum, apud Alpes & mare Ligusticum. Deinde magis in occasum vltra Rhodanum fluuiũ, Longodocham, in quo loco Pto. Tectosaces & Volcas describit: Demũ apud Galliæ Belgicæ limites, Sabaudiam: cuius olim gentes Allobrogæ Ptolemæo dictæ fuisse videntur.

Lotaringia

Suitia.

Arduenna sylua.

Prouincia Delphinatꝰ

Longodocha.

Sabaudia

dentur. Montes præcipui Galliæ sunt Cemeni vel Cameni, nunc Cauerna, in grad. lon. 22. lat. 46. Vogesus mons alpibus iunctus. Fluuii Garumpna, ex Cemenis montibus in mare Aquitanicum fluens: Liger ex eodem monte versus mare Britannicum: Sequana ferè ex Vogesio in Britannicum oceanū: Rhodanus ex Alpibus in mare Ligusticum, constituens interim lacum Lemanum ingentem, cuius accolæ Alemani sunt & regio Alemania dicitur.

Cauerna mons

Fluuii.

Alemania

CAPVT QVARTVM.

De *insulis* Britannicis.

GAlliæ iamiam à nobis descriptæ, superimminēt à Septentrione insulæ duæ Britannicæ, quarum quæ magis in occasum vergit Hybernia dicitur hodie Iirlandt. Gens est immanis, ferox & inculta. Equos mittit oneribus ferendis quàm aptissimos. Hinc versus Boream sita est insula Islandia ad mare glaciale, cuius incolæ Ichtiophagi sunt. Albion insula Britannica Hyberniæ ad ortum sita, naturaque (vt ait Cæsar) triquetra, cuius latus imum contra Galliam est, habet à septentrione oceanum Deucalidonium: ab ortu Germanicū, ab austro Britannicum, ab occasu Vergiuum. Hæc insula iam nomine mutato in duo diuisa est regna, Angliam & Scotiam, limite (vbi arctior est) duorum plus minus passuum.

Iirlandt.

Islandia.

Anglia

Angliam autem ab angilis Teutonorum populis qui eam occuparunt, nomen sortitam esse scribit Volateranus. Contendunt hic multi præcipue nostri sæculi geographi, superiorem angulum Scotiæ nō eo modo in ortum prominere quemadmodum Ptol. ac nostri globi descriptio habet. Verum his (quum nihil habeāt quo id edocere possint) temere fides adhibenda non est. Imò ipsimet Scoti nobis inquirentibus in orientē solem latus extare fessi sunt. Addebant iidem sinum quendam versus aquilonem extare, in quo tres insulæ vēto agitante huc atque illuc fluctuarent, sed ob angustiam oris non posse egredi. Huius item extremitati in aquilonē obiectæ sunt Orchades insulæ. 30. numero in orbem quasi collatæ, quæ regi Scotiæ subiectę sunt, sub gradibus longi. quasi. 30. la. gra. 61. mi. 30. Ebudę insulę ferè inter Scotiam & Iberniam sub gra. lon. 16. la. 62. Magis ad Arctos insula Thyle, nūc Cambria sita est, veteribus vltimum orbis habitati, quā nunc sequitur Engroenelandt pars continentis, de qua posterius dicemus. Cōtra Flandriæ septentrionale latus insulæ sunt aliquot Rheni ostiis obiectæ, in quibus sal paratur, nū c Zelandiam vocant. Creduntur partes olim continentis fuisse, marisq; fluctibus auulsæ, Carū populi ferè Cimbri olim dicti fuerunt, si tæq; sunt sub gra. lon. 26. la. 53.

Orchades

Ebudæ insulæ.

Thyle.

Zelandia.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De *Germania*.

GErmania cognomine magna, versus occasum Rhenum attingit, à Septentrione oceano alluitur Germanico. Ab ortu Vistulam fluuium habet & Carpatum montem: Reliqua pars Danubio fluuio & Alpibus claditur. Dicta autem est Germania eo quod eius gentes germani siue fratres viderentur Gallorum. Regiones eius nominibus parum cũ veterum descriptione nunc conueniunt. Plinius vniuersam Germaniam in quinq; diuidit genera, Isthæuones proximos Rheno, deinde in Hermiones, Ingeuones, Vindelos, & Peucinos. Ptolemæus in tres præcipuas diuisit partes, scilicet in Germaniam superiorem, Inferiorem, ac magnã. illæ iam dictæ sunt. Restat tertia Germaniæ pars, cuius à septentrione circa Rheni hostia, prima regio occurrit Phrysia vel Frisia, nomen adhuc vetus retinens. Nunc in tres diuisa partes, occidentalem, orientalem, & mediam Grueningensem, Proxima est Saxonia sub Cymbrica Chersoneso aut sub Danis, cuius populi proximi à Danis Saxones apud Ptol. lib. 2. dicuntur: reliqui verò Teutonarii, Cauchi, Angriuarii &c. Habet deinde Saxonia ab occasu, prope Rhenũ flu. Busactores paruos, quos Plin. Isthæuones appellat, In eo loco nũc Vuestphaliæ regio iacet, cuius populi

Germania vnde dicta.

Phrysia.

Saxonia

Vuestphalia.

puli rudes admodum sunt & seruitiis ferè addicti. Hæc quidem dicimus nō certa fide nos astringentes, sed quantū coniectura consequi possumus facta collatione nouæ descriptionis orbis cum Ptolemæi chartis cosmographicis. Ab hiis autem in austrum magis, sequūtur Tegatri, Ineriones, Longobardi secundum Ptol.

Hassia. qui nunc Hassiæ populi putātur, sub gra. lon. 30. & .30. mi. lat. 50. & semisse. Post hos paulò plus in meridiem, apud Rhenum fluuium sunt Intuergi, Vargiones, & Carithni, populi nunc

Franconia. Franconiæ nobilis Germanię regionis, in gra. lon. 30. la. 50. ferè: Huic regioni adiacet versus

Turingia orientem solem Turingia regio, vbi Ptole. habet Casuaros & Cauttas. Terminis orientali-

Misnia. bus Turingiæ connectitur Misnia ad Albim flu. Populi eius Nertanæ, sub gra. lon. 36. ferè, la. 51. Rursus apud Rhenum & Danubii ortum

Sueuia Sueuia est nomen adhuc vetus retinens, quā nonnulli apud Albim flu. describunt: verum Straboni nostra descriptio & hodierna respō det, Ptol. tamen Sueuorum situm statuit vbi nos Saxoniam descripsimus apud Angilos et Longobardos. Huc vsq; in Germaniæ descriptione à septentrione in meridiem inter duos fluuios Rhenum atq; Albim processimus, nūc eodem ordine regiōes quę sunt inter Albim & Vistulam fluuios percurremus. Extremum igitur continentis in Arctos extensum Cymbrica Chersonesus est: Cuius populi Cymbri,

Cha-

Charudes, Phunduſii, Cobandi, & Chali dicti ſunt, à Ptolemæo, nos verò vno nomine Danos dicimus, & Cherſoneſum, Daniam alii luciam & Holſatiam. Qui magis auſtrum & ortum ſpectant populi, Veruni ſunt & Pharodini, Mechelburgēſes à neotericis dicti, ſub gra. lon. 37 lat. 56. ferè. Deinde ad Viſtulam vſque fluuium Pomeriana regio extenditur, quam incolebant olim Sidini & Ruticlii. Marca antiqua regio ſic dicta apud Albim ponitur, Cuius populos Ptol. Sennones, Loccobardos, & Batinos appellat. Hiis orientaliores Lutyburi ſub Marchia noua continentur in gra. lon. 40 ferè graduum, latitu. 53. Sequitur ab Auſtrum Schleſia & Vratislauia regiones ſic ſatis agrorum vbertate præditæ, quarum populi Danduti & Cogni dicti ſunt, ſub gra. lon. 40. la. 50. & mi. 40. Inde ad Albis fontes occurrit Boemia regio montibus & ſyluæ Herciniæ parte intercluſa, frumentiq; ferax, ſub grad lon. 36 minut. 20 la 49. mi. 40. In eodem ferè ſitu Ptol. Boemos deſcribit, verum paulò magis verſus Danubium flu. Poſtea paulò plus ad ortū & Danubium Morauia regio eſt, in mōtes vſq; Sarmaticos extenſa, vini frumētiq; fertilitate gaudens, huius populi Marcomanni Ptolemæo dicuntur, ſub gradibus longitud. 40. latit. 48. & ſemiſſe. Hæc de Germaniæ regionibus & populis maxime celebratis huc vſque.

Dania

Mechelburgenſes.

Pomeriana

Marca.

Marchia

Boemia.

Morauia.

Montes. Montes Germaniæ præcipui ſunt Alpes qui eam ab Italia ſeiungunt, ſub gra.lon.30.la.45. 46.&.47.Carpathus mons ſub grad.lon.44. 45.46.&.47.la.48.Abnobius mons ſub gra. lon.30.minutis totidem,la.37.ferè.Prope hunc Danubius flu.erumpit. Eſt inſuper Germania multis ac denſiſſimis ſyluis conſita, Præcipua tamen vnde omnes alię ortum habere viden

Hercinia ſylua tur Hercinia ſylua eſt,aut ſecundum Ptol.Orcinium nemus apud fontes Danubii & Abnobium montem orta,& circa Boemiam,deinde per totam Germaniam ac per Samariam Europæ ſerpens ad hyperboreos vſq; montes extenditur: verum interim diuerſa pro diuerſis regionibus nomina accipit. In principio enim Nigra ſylua dicitur,deinde alia atq; alia in ſucceſſu admittens nomina. Eſt item alia ingens ſylua Semana à Ptol. dicta circa Thuringiam orta & in diuerſas etiã partes Germaniæ dif-

Fluuii fuſa. Fluuii hii ſunt: Danubius prope Abnobium montẽ ortus multisq; aſſumptis fluuiis ſex hoſtiis in pontum Euxinum erumpit.Rhenus ex alpibus in ea parte vbi Adula eſt mons eminentiſſimus in oceanum Germanicum inter Phryſiam & Hollandiam pluribus hoſtiis

Moſella egreditur. Obrincus flu.qui nunc Moſella putatur circa Vogeſium montem fontes habens Rheno coniungitur.Moſa etiam non longe à Vogeſio ortus itidem cum Rheno ſe admiſcet circa Brabantiam. Amaſus per Phryſiam in

Vueſt-

Vueſtphalia ortus in mare Germanicum profluit. Viſurgus in Thuringia incipiens in mare Germanicum deſinit, hic nunc Beſera dicitur. Beſera.
Albis fluuius propè Boëmiam exortus in mare Germanicum Daniam à dextris linquens ſeſe exonerat. Sueuus fluuius, quem nunc Spre vocant, in montanis Boëmiæ & Schleſiæ ortus in mare Sarmaticum propè Daniam egreditur. Spre flu.
Sequitur hunc ad ortum Viadus flu. aut Odera: Demum Viſtula flu. in montibus Sarmaticis ortus Germaniam à Sarmatia diſterminans in mare Sarmaticum defluit.

CAPVT SEXTVM.

De *Sarmatia Europæ.*

SArmatia Europæa cuius gentes omnes cum Sarmatiæ Aſiaticæ populis Scythas, veteres vocauére, deinde Sauromatas tantum quas nunc Sarmatas dicimus: ab Arctis habet mare Sarmaticum cum ſinu Venedico, ab occaſu Viſtulam fluuium, ſecernentẽ eam à Germania, ab oppoſita parte, Thanaim flu. cũ palude Meotidis, deinde meridionale latus terminat Carpatus mons cum Sarmaticis mõtibus. Plurimas nunc continet regiones Poloniam maiorem & minorem, illa à Pomeriana incipiens vtrunque latus Viſtulæ occupat & verſus occidentem ad Oderam fluuium vſq; protenditur, huius gentes Vandali & nonnullis Vindali dictæ fuerunt ſub grad. lon. 45. lat. 52. Altera verſus Auſtrum in mõtes Sarmaticos Polonia.

& Carpatum montẽ incidit, propriũ habẽs regem sub gra. lon. 46 la. 51. huius olim gẽtes fuere Burgiones, Cistoboci, & Visburgi. Regiones autem sunt non multum frequentes habitatoribus. Magis ad mare Sarmaticum in ora continentis post Pomerianam ad ortum sita

Prussia. est Prussia gentibus feris & incultis habitata, quæ Gothones olim dicebantur, sub gra. lon. 47. mi. 30. lat. 54. Sequitur versus orientem & meridiem Russia rubea vel Rhutenia, cuius

Russia. gentes Roxolani Plinio dicuntur. Post ad Ta-

Podalia. naim flu. Podolia, hæ regiones mel & ceram affatim gignunt, populi verò earum à Pto. Cariones, Gillones, Amazobii & Exobigitæ dicuntur sub gra. lon. 55. la. 52 Huic Podoliæ cõnectitur Isthmo penitus arcto Taurica Chersonesus cõtra Achillæum promontoriũ Asiæ: inde nomen sortita, quòd quidã ibi boues primus aratro iungere tentauerit, Peninsula est vt ex descriptione nostra videre licet, nunc

Tartaria minor. minor Tartaria dicta, aliis barbaris Gazaria sub gra. lon. 62. lat. 48. Deinde rursus ad Oceanum paulóq; plus ad ortum sita est Littouia

Gazaria. Lituania Samogitia. quæ eadem Samogitia neotericis dicitur vel Lituania, vbi Pto. Alauni Scythas describit & Sturnos. Idem Vbiones, Aribos, Scauros, Borusсos, & Voltas ad montes Ripheos locauit, scilicet inter Thuruntum & Chersinum fluuios, quorum ille ab aris Alexãdri, aut à Tanai flu. hostiis, in mare Sarmaticum delabitur.

Hæc

Hæc regiuncula Curlandia quibuſdam eſt, nõ adeò ciuitatibus atque ſyluis conſita. Liuonia vltima Sarmatiæ regio maximeq; in ſeptentrionem extenta Hyperboreis coniuncta eſt, cuius populi Pagirithæ & Carcothæ nominãtur ſub gradibus longitud. 63. latitud. 60. minutorum. 40. Sequuntur hinc in Septentrionẽ adeò vt circulum Arcticum tranſgrediantur regiones vaſtiſſimæ rigidiſſimæq;, quarum incolæ procero candidoq; ſunt corpore, niſi iidem ſylueſtres aliquando eſſent, Ptolemæo veteribusq; omnibus incognitæ permanſerũt. Et ibi fere perpetua glacies adeo fortiter cõcreta: vt ſuper ea equites in bellis manum conſerere valeant, aptiorq; ſit hyems bellis gerendis quàm æſtas. Sunt autem regiones ferè tales Scamia & Dacia ſub grad. lon. 47. latitud. 60. Gottia meridionalis ſub grad. lon. 48. latitud. 62. Suecia quam & alii Gottiam occidentalem dicunt, hæc auri fodinas habere perhibetur ſub grad. longitud. 45. latitud. 65. fere. Noruuegia aut Norbegia ſub longitu. 43. latitud. 66. Hæc longe extenditur verſus Thylen inſulam quę huic regioni perpetua fere glacie in modum continentis coniungitur. Gronelandt aut Engronelandt extra circulum arcticũ. Deinde Pilappia & VVillappia omniũ regionũ frigidiſſimæ, eò quòd maxime ad arctos accedãt, qbus interdũ ſol toto mẽſe ſupra horizontẽ perdurat vt ratio ſphæræ indicat.

Curlandia.
Liuonia.
Scamia.
Suecia.
Gottia.
Norbegia.
Gronelãdt.
Pilappia.
VVillappia.

Suntq;

Suntq; in hac parte, quæ etiam nunc ignota permanſit, homines atrociſſimi & ſylueſtres qui Chriſtianos fortiter à ſuis limitibus abarcent: ibiq; interim fertur ſeſe ſpiritus malignus aërio corpore ob oculos hoīm (terribile viſu) ponere. Demū ab hiis regionibus verſus occaſum incerta tamen deſignatione Pygmæi cubi tales habitare perhibentur, ſed quid de ea re ſit incertum eſt, niſi quod ſemel atque iterum nauis coreacea forte vi ventorum in littus impulſa cum Pygmæis capta ſit. Inſulæ circa Germaniæ littora paucæ ſunt numero eo quòd ab vna tantum parte oceano alluatur qui Sarmaticus dicitur: in quo ſitæ ſunt inſulæ Scandiæ vocatæ, nunc mutatis aliquot literis Selandia, quo nomine maxima appellatur quæ eſt ſub gra. lon. 45. la. 58. Femara propè littora Cymbricæ Cherſoneſi ſub gra. lon. 40. mi. 20. la. 57. Sunt & aliæ ignotæ circūfuſæ Lalant, Falſter, Teonia, &c. Mare autem ipſum Sarmaticum neoterici Pontum Sabuloſum appellant.

Pygmæi.

Inſulæ.

CAPVT SEPTIMVM.

De Rhætia, Vindelicia, &c.

RHætia (vt ait Volaterranus autoritate Trogi) à Rhæto duce Hetruſcorum dicta, qui expulſi à Gallis in proximis Alpibus conſedere, ab occaſu Heluetiis ſeiunctis ab ea monte Adula, qui ab Alpibus in Boream extenditur, deinde linea quæ coniungit capita duorum amnium Rheni & Danubii: A ſeptē-

trione

trione Danubio vsque in gra.lon.32. la.47.& 10.minutorum: Ab ortu Lico fluuio, cuius finis australior gradus habet.34.la.45.15. Ab austro alpibus finitur. Hæc nunc cum parte aliqua Vindeliciæ Sueuia dicitur, quæ etiam vltra Danubium protenditur, Regio & vini & frumenti ferax multum: huic proximæ sunt regiunculæ quę Germanię attinent, Hannecampia, Algauia, Comitatus Palatini, Rheni & alię. Vindelicia ab occasu Rhætiam habet, à septẽtrione Danubium vsq; in gra.lo.34.vbi Ænus flu.ex Danubio in meridiem vergit Noricum à Vindelicia disterminans iuxta orientale latus, meridionale latus alpibus terminatur, huius pars aliqua Risa nunc dicitur, reliqua Sueuiæ attinet. Noricum cuius populi Tauriſci à Strabone dicuntur, Boi verò à Pto. vnde Boiaria vel Bauaria videtur dici: nam eo nomine nunc cum parte Vindeliciæ appellatur. Ænus flu. ab occidente, Danubius ab arctis. Cetius mons qui ex alpibus in septentrionem ad. 30. quasi miliaria extat ab ortu: ipsimet alpes ab austro terminant. Regio non æque vini atque frumenti ferax sub gra.lo.36.mi.30.la.47. fere. Ab hac inter alpes Tyrolensium regio cõtra magis vini quàm frumenti ferax. Pannonias duas descripsit Pto. superiorem ac inferiorem, Illa ab occasu Norico: à septẽtrione Danubio: ab ortu Pannonia inferiori clauditur, quæ ab eadem distinguitur, linea quæ per.41. gradus

Sueuia.

Algauia.

Rirsa.

Boiaria.

longi-

longitudinis à Danubio ad montem Bebium ducitur: Mons autẽ hic Bebius ab alpibus versus Græciam procedit. Hæc eadem est quam nunc Austriam dicimus, regio non inamœna: fontium, piscium, ac lignorum copia nobilitata, sub gra. lon. 39. lat. 47. Pars deinde quæ alpibus coniuncta est Stiria dicitur, regio ferri diues atq; etiam argenti fodinis non penitus orbata. Ab hac verò plus in occasum vltra Cetium montẽ Carinthia est & Forum Iulii ducatus: regiunculæ eò quòd alpibus proximæ sint aquosæ: niues enim quæ inter alpes copiosissimæ sunt, cũ calore solis resoluuntur, aquæ magnam vim in has regiones mittunt. Pannonia inferior ab occasu præscripta linea disterminatur, à septẽtrione & ortu Danubii parte, deinde Bebii mõtanis, diciturnunc ferè tota Hũgaria, ab Hunnis qui æstum mari fugientes ex Sarmatia Europę, huc aduentasse ferũtur: eius regionis rex inclytus Ferdinandus quinti Caroli Imperatoris frater & Christianæ fidei propugnator & Athleta strennuissimus, continue sumptibus ac laboribus inenarrabilibus bellum gerit aduersus Turcos, qui tantis viribus in has regiones irruunt, vt ægrè resisti possit, imò totam hanc regionem fere vastam nostro æuo reddiderunt cũ magna copia vsque ad Viennam vrbem nobilem Austriæ, nostro magno timore & accolarum destructione miseranda peruenerãt, vnde tamen Dei auxilio

Austria.

Stiria

Carinthia.
Forũ Iulii.

Hungaria.

& Christianorum præclara & memoratu digna victoria profligati sunt. Huius demũ Pannoniæ pars quę Dalmatiæ coniungitur & mõtibus, Croatia regio dicitur. Dictæ autem iamiã regiones à Pto. seorsum descriptæ nunc Germanię annumerantur, nam & germanica lingua vtuntur, & moribus non sunt dissimiles, Montes verò & fluuii earum inter describendũ enarrati sunt. Illyris vel Liburnia duobus iis ex æquo nominibus vocata, nunc vocatur Sclauonia, Ptolemæo etiam Dalmatia, quam Glareanus seorsum versus meridiem & ortũ describendam censet. Cingitur hæc ab occasu Histria, à septentrione vtraque Pannonia siue Austria & Hungaria, intercedente monte Bebio, qui deinde mutato nomine Sardonius à Pto. dicitur partemq; ortũ aspicientem à Mysia superiori diducit, reliquum latus mari Hadriatico aut supero alluitur. Populi sunt inculti & inertes, nisi quòd bello apti sint, qua in re nobis aduersus Turcorum impetũ non paruo sunt adiumento. Dicti sunt olim Delmatæ à Delminio, quem Scipio Nasica Cons. deuicit, hinc Dalmatia: deinde Sclaui vel Sclaueni ex gente Scythica quæ Illyricum occupauit, & hinc Sclauonia, sub est gra. lon. 42. lat. 44.

Croatia.

Sclauonia. Dalmatia.

Nominis ratio.

CAPVT OCTAVVM.

De *Italia, & Insulis uicinis.*

ITalia cũ oĩm regionũ celeberrima, tũ etiã fertilitate soli nulli posthabẽda, cingitur ab occi-

occidente mari Thyrreno, quod etiã Infetũ dicitur, à septẽtrione alpium iugis, ab ortu mari Hadriatico Veneto vel Supero, reliquam verò partem Ionium mare & Lybicum alluunt. Strabo eam tibiæ demortui hominis, Pli. querno folio adsimilat. Dicta autem est ab Italo rege, Gel. li. 11. ex Tymęo, & M. Varrone dicit à Græco vocabulo Ιταλοὶ quod boues significat dictam esse, quorum ibi copia fuit. Trogus Saturniam appellat, Liuius Ausoniam, Dionysius Oenotriam, demum Ver. Hesperiam magnam in differentiam Hesperiæ, id est, Hispaniæ. Pars eius alpibus proxima Gallia Cisalpina & togata dicta fuit, cum altera Gallia Trãsalpina & Brachata diceretur, nũc Longobardia dicitur, regio fluminibus & lacubus innumeris exornata, huic attinet etiam regiuncula Venetia & Teruisa apud sinum Hadriaticum. Populi Taurini Cenomanni & Insubri secundum Ptol. Regionis mediũ est sub gra. lon. 31. mi. 30. la. 44. & 30. minut. Sequitur in Isthmo Italiæ Flaminea regio quæ & Romandiola & Emilia & Liguria dicta fuit, alii partẽ Lõgobardiæ faciunt sub gra. lon. 32. & semis, latitud. 43. & semis. In medio verò Italiæ Tuscia regio & Latium eius est Roma, populi Aborigenes, Rutili, Volsci, Hernici, Equi. Tuscia eadem & Hetruria dicta fuit, regio omnium rerum fertilis ferè quæ ad vitam necessariæ sunt, habet gradus long. 35. lat. 42. & semis.

Longobardia.

Tuscia.

Item

Item Vmbria cuius gentes Vmbri & Sabini propius ad ſinum Hadriaticum vltra Apenninum montem ſitæ ſunt, vocatur nunc Ducatus Spoletanus ſub gra. lon. 36. la. 43. Picenum Marchia Firmiana nūc Anconitana ſub gra. lon. 36. & ſemis, la. 43. graduum. Campania Latium ſequitur ſub gradibus lon. 30. minut. 40. lat. 41. dicitur nunc Terralaboris, regio vt omnis Italia multarum rerum fertilis. In extremo Italiæ Apulia regio & Aprutium vbi Ptole. Ætolos deſcripſit, regiones auri, argenti, frugū, vini, oleiq; ditiſſimæ, ſub gra. lon. 41. & triente la. 40. Deinde Calabria Fauonios & Siciliam reſpiciens ſub lon. 40. gra. & ſemis, la. 39. & ſemis. Demum vt ſemel finiam tota Italia adeò eſt vrbibus conſita, tā eſt cœli temperie prædita & frugifera, vt facile omnē Europæ prouinciā ſuperet. Mōtes Italiæ præcipui hii ſunt: Primum Apenninus ab Alpibus exorſus totam Italiam dirimit, perinde atque ſpina tergum hominis, hinc omnes alii oriuntur quorū eſt Garganus in Apulia diui Michaēlis miraculo celebris. Veſuuius mōs igniuomus Campaniæ. Eiuſdem eſt Phalernus mons vini fertilitate celebris. Fluuii & ſi multi ſunt non tamen adeò celebres: Præcipui ſunt Tyberis flu. ex Apēnino per Romā in mare Thyrrenum decurrens. Padus ſiue Eridanus ex alpibus tribus hoſtiis in ſinum Hadriaticum egreditur, Italiæ etiā attinet Iſtria aut tantum vna pars,

Vmbria.
Spoletani
Anconitana.
Campania.
Apulia.
Calabria.
Montes.
Garganus.
Phalernus.
Iſtria.

reliqua Sclauoniæ tribuitur : lingua vtuntur Italica, Habet hæc ab occidente Galliæ Cisalpinæ partem, à septentrione Rhætiam, ab ortu Illyridem siue Dalmatiam, deinde mare Hadriaticum, sub gra. lon. 37. la. 45. & triente.

CAPVT IX.

De *Sicilia, Corsica, Sardinia, &c.*

A Diacet Italiæ à sinistris si arctos aspicias insula Sicilia nobilis à fertilitate soli, & monte Ætna memorabilis qui perpetuis flagrat ignibus. Habet autem ab occasu Thyrrenum mare & à septentrione, ab ortu Ionium & Italiam, deinde mare Africum. Dicta fuit Sicilia à Sicanis Hispaniæ populis qui ferè primi eam incoluere, & adhuc partem, quæ occidentem respicit incolunt. Habet autẽ tria promontoria autoribus trita, & hinc Trinacria fuit dicta, appellantur hoc modo. Pelorus Italiam & septentrionem aspicit, Lelibæũ occasum, Pachynus Græciã, vnde quidam naues ex Carthaginensium portu prodeuntes videre potuisse fertur. Hic regem egit Æolus q ventorum deus habitus fuit. Cyrnos à Græcis dicta Latinis Corsica, sub gra. longit. 31. la. 40. & 40. minut. insula vini fertilis, agrorumq; fertilitate prædita. Sardinia sub Corsica versus Africam, agrorum fœcunditate ipsa Corsica beatior, habet gra. lon. 31. la. 38. Hæc quia plantam humani pedis ferè refert Ichnusa dicta fuit, Ἴχνος enim vestigium significat. In stricto mari

Ætna.

Nominis origo.

Æolus.

Corsica.

Sardinia.

Ichnusa.

mari quod inter hanc & Corsicam interfluit insulæ sunt paruæ cunicularię à Plinio dictæ. Ab hac Sardinia profectum est adagium Sardonicus risus: Herbam enim quādam profert lappæ similem qua vescentes ridendo emoriuntur: Sunt etiam in sinu Hadriatico plures insulæ quarum præcipuæ sic dicuntur: Tragurium, Arba, Pharus, vel Parus, aut Pharia Pto lemæo circa gradus longitud. 36. & minut. 30. latitud. 44. & semis. Deinde Lissa vsque ad nostra tempora sic dicta. Item Chissa secundum alios Gissa, quæ nunc putatur Pago dici sub long. 38. latit. 44. Meliten quæ apud Pto. Meligina vnde canes Melitei. sub lon. 40. grami. 40 latitud. 43. & semis. Apsorrus quæ nūc Querle videtur, sub lon. 42. & lat. 42. Absyrtides insulæ paruæ sub lō. 43. la. 41. Portunaca quæ & Vigilia sub longitud. 44. lat. 41. & 20 minutorum.

Pharus.

Lissa.

Meliten.

Absyrtides.

CAPVT DECIMVM.

De *Dacia, Iazygibus, & Mysiis.*

IAzyges metanastæ quorū regio hodie Septem castra dicuntur, inter Danubium occiduum & Tibiscum orientalem & inter Sarmaticos montes continetur, Carpato monte australior, nunc Germaniæ adiicitur, in grad. long. 45. & 30. minutorum, latitud. 48 Dacia sequitur Orientale latus Iazygium post Tibiscum fluuium. Regio ingens & vasta cuius gētes Ptolem. Bastarnas & Getas dicit, Pli. eas à

Septēcastra

Tibiscus.

Romanis Dacos, à Græcis Getas appellari autor est: alii Dacos occiduos esse Getas orientalem plagam incolere contendunt, dicitur nunc VValachia, sub lon. 51. la. 48. & Transyluania, sub lon. 50. grad. la. 49. fere. Cingitur autẽ Dacia ab occasu Iazygibus & Tibisco flu. A septentrione Sarmatia Europæ, Ab ortu Danubio, qui hinc Ister dicitur & sex hostiis in pontum Euxinum exit. A meridie rursus Danubio. Mysia duplex est, Inferior quæ nunc Bulgariam, Bossinam, & Rasciam regiunculas complectitur, septentrionalior est superiori. Ab occidente habet VValachiam, Ab ortu pontum Euxinum, A septẽtrione Sarmatiam, deinde Thraciam. Mœsiã dici contendit Volaterranus, eam verò quæ est in Asia Mysiam, medium huius regionis habet gra. lõ. 55. la. 47. Ptole. has adsignat nationes Bulenses, Epiarenses, Triballos, Troglodytas, Peucinos inter hostia Danubii, qui hic Ister (vt diximus) vocatur, hiis autem hostiis obiecta est Peucen insula. Mysia superior à septẽtrione Danubio & Dacia, ab occasu Dalmatia, ab aduersa parte Thracia, deinde Macedonia clauditur. Eius gentes Pto. lib. 3. enumerat, qui sunt Tryconesii, Pycensii, & Darsani, nunc partim Bossina dicitur, & Zeruia: partemq; Rasciæ complecti tur, sita est sub long. 47. graduum & semissis, latitud. 44. fere.

Walachia. Trãsyluana

Bulgaria. Bossina.

Bossina. Zeruia.

CAP.

CAPVT VNDECIMVM.

De Thracia & reliquis Græciæ partibus.

THracia nunc Græciæ portio, quæ & Sython dicta fertur, circũscribitur hoc modo. Ab arctis Istro fluuio & Mysia inferiori, ab occasu Mysia superiori, ab ortu solis ponto & Propontide, à meridie mari Ægeo. Eius gentes sunt pugnaces & feritate præditæ, dictæ Bessi, Odones, Odrysii, & Bryges, qui deinde transeuntes in Asiam Phryges dicti sunt. Montes habet insigniores, Ænum & Rhodopen, hii nostri dicuntur Cathena mundi. Flumina sunt Nesus & Hebrus in mare Ægeum: Bythinus & Athyra in propontidem sese exonerantes. Medium regionis habet gradus longit. 54. la. 42. & semis. Adhæret Thraciæ pars quæ proprie Chersonesus dicitur, in qua est vrbs Sestus & Calipolis. Macedonia in medio duorũ marium, Ionii ab occasu, & Ægæi ab ortu continetur. Latus autem septentrionale, partes Dalmatiæ, Mysię superioris, & Thraciæ terminant: Reliquum Epirus & Achaia. Pars eius quę inter montes Cameleos & mare Ionium clauditur Albania dicitur, cuius est Dirrachium emporiũ nobile. Sequuntur hinc versus ortum Orestæ populi. Annumerant alii plures harum regionum prouincias, vt Pelasgiam, Æmathiam siue Pharsaliam, quarum Lucanus sępe mentionem facit, nam hic ferè con-

Cathena mũdi mõs. Fluuii.

Chersonesus.

Albania. Dirrachiũ.

Æmathia.

ſeruere manus Pompeius & C. Cæſar. Itẽ Calcidicã, Pieriam Stimphaliam Pto. & alias incerta ferè deſignatione. Volaterranus Edones pop. adſignat ad partem orientalem ſtatim à Thracia, vnde ſinus Edonicus nomen habet. Idem Peones adſignat mediterraneos. Omnia autem hæc ſub Græcia continentur nunc Turchia: Regiones ſanè non infœlices, auri enim argentiq; venas habent. Suntq; multum autoribus decantatæ. Medium earum eſt ſub gra. lon. 47. 30. la. 40. Theſſalia apud Pto. ſub Macedonia continetur, ab aliis tamen ſigillatim deſcribitur. Eſt igitur pars Macedoniæ vel Græciæ, proxima Epiro & Achaiæ, vndiq; ferè montibus theatrali (vt ait Pli.) modo inflexis cincta. Ab oriente Pelion & Oſſam poëtis celebratos habet montes. Ab Aquilone Olympum, ab occidẽte Pindum: ex quo Peneus amnis mediam ſecans regionem, præter Oſſam in Ægæũ mare prolabitur. Deucalion Pyrrheam appellauit, vt ait Strabo: Hemon verò Hemoniam, eius filius Theſſalus Theſſaliam. Huius eſt Emonia regio & ciuitas: Item Æthices gens, Demetrias regio ab euictore dicta, Dolopes à Mercurii filio, Lapithæ populi, Myniæ, Maliẽſes, Pelaſgi, Æſtioti, &c. Montes Macedoniæ præclariores, quibus ferè tota cingitur, atq; ob id crebris laborat terræmotibus, ſunt Candauiæ vel Camelæi ab occaſu: Bertiſcus Ptolemæo, à parte Thraciæ. Cittarius qui

Theſſalia.

Montes.

à mon-

à montibus Achaiæ in septẽtrionem assurgit. Athos mons in promontorio maris Ægei. Mediterranei verò, Olympus mons altissimus, & Pelion. Item Pindus, iuxta Epyrum cũ Othry: qui Lapitharũ sedes fuẽre vt ait Pli. li. 4. Sunt item Ossa, & Pieris & Oeta, vnde Sperchius fluuius inter Macedoniam & Achaiam transiens, in mare Ægeum exit. Sunt præterea fluuii Strimon, Axius Erigonon, Demum Peneus amnis, hic (vt ait Pli.) ortus iuxta Gomphos, interq; Ossam & Olympũ nemorosa conualle defluens. 50. stadiis dimidio eius spacio nauigabilis, deinde in sinum Thermaicum egreditur. Hæc est illa Macedonia (vt idem Plin.) terrarum imperio potita quondam: hęc Asiã, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociã, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum transgressa: hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriẽte possesso: hęc etiam Indiæ victrix, per vestigia Liberi patris, atque Herculis vagata: hæc eadẽ est Macedonia, cuius vno die Paulus Æmilius Imperator noster. 72. vrbes direptas vendidit. Pieris. Fluuiã.

CAPVT XII.

De Epiro, Achaia & Peloponneso.

EPiri termini sunt, Albania & Thessalia descriptę ab aquilone, mare Ionicum ab occasu, linea verò à monte Oetha ascendens ad hostium Acheloi fluuii ab ortu, reliquum

latus mari circũscribitur Ionio. Regiones eius particulares sunt Chaonia montana apud Ionium pelagus: Thesprota mediterranea: deinde Cassiopeia & Acarnania versus Achaiã, Gentes sunt Dolopes, Tymphæi, Amynæi, Amphilochi, Casiopi, Molossi, vnde tota Epirotarum regio Molossa: Item Amyctæ, Argyriui, & Chauni apud montem Oetham: vnde Achelous fluuius originem sumit. Montes Epiri, Acroceraunia ab Ionio pelago imminẽtia: Pindus à parte Thessaliæ: Leucathes vel Actium promontorium versus peninsulam. Fluuii, Achelous qui ex monte Pindo in mare Hadriaticum descendit: Acheron versus Corcyram insulam incedit: Aractus inter duos transit. Achaiam describit Pto. lib. 3. cap. 15. habere ab occasu Epirum, ab aquilone Macedoniam secundum limites præsc. ab ortu autem partẽ Ægæi maris, à meridie mare Hadriaticum, deinde Histmum & mare Creticum, Pars Græciæ est, nũc Turciæ attinet: Regiones eius particulares sunt. Ætoliaab Ætolo Endymionis filio, hæc sita est apud Acarnaniam intercedente Acheloo fluuio, huius Ætoliæ gentes Ephyri, Aẽniẽses, Dolopes, Atraces. A qbus Atrax amnis Ionio mari infunditur. Sub Achaia etiã Pto. cõprehendit Locros vel Locrenses quorum regio Locris idem Ozolæ vel Epicnemidii cognominati sunt: siti apud sinum Corinthiacum, cuius est Castalius fons, amnis Cephi

Montes.

Fluuii.

Achaia.

Ætolia.

Locris.

sus,

sus, oppidum liberum Delphi. Post Locrenses ad ortum adiacent Phocenses & Phocis regio: & Dryopes iuxta Parnassum montem. Bœotia in medio Achaiæ, Doris. Phocis

Megaris

Postea Megaris & Megarenses in prouerbiis triti: huius situs est ab Isthmo ad ortum. Extremum autẽ Achaiæ versus ortum occupat Attica, in qua Athenæ vrbs præclara. Montes Achaiæ Callidromus, qui deinde Corax. Parnasus mons biceps vt testatur Persius. Citheron musarũ habitatio, vbi Orpheus cantare solebat. Fluuii, Euenus flu. ex Callidromo ortus versus ortũ Cephissi nomen accipit: Hic idem ab iisdem montibus ortus, cum Asopo & Ismeno flu. in mare Ægeum delabitur. Peloponnesus, Apia, Pelasgia, Danaa, & peninsula appellata nunc Morea dicitur: haud vlli terræ nobilitate post ferenda, inter duo maria Ionium & Ægeum contenta, angusta ceruice Achaiæ connexa, duobus vtrinque sinubus, quorum occiduus Corinthiacus, oppositus Saronicus. Regiones continet multas quæ sunt. Corinthia statim ab Isthmo, in qua Corinthus, Ephyra siue Heliopolis ciuitas nobilis, vnde prouerbium: Non cuiuis homini contingit adire Corinthum, & Κορινθιάζειν, lasciuire. Deinde Sicyonia regio inter Corinthum & Achaiam proprie, proxime sequentem in eadem peninsula: in hac multæ oleæ. Mesenia verò ad occasum solis & meridiem peninsulæ vergit: Supra quam Helida,

Attica.

Montes

Fluuii

Corinthia.

Sicyonia

Mesenia.

Hellas. Helis vel Hellas regio. In medio verò peninsulæ Arcadia, ab Arcade Iouis filio dicta eadem & Parrhasia, Lycaonia, Azania, Pania, et Pelasgia appellata fuit: Regio montuosa, & quæ asinos præstantes mittit. Post hanc versus ortum solis & meridiem Laconica vel Lacedæmonia. In ipso autem Istmo Argia, vnde Argiui & Argi: hæc etiam Doricū Hippium & Dixium appellata fuit. Montes Pelopōnesi Pholoë, Stymphalus, Minoë, Taygeta: qui ab Aquilone per occasum in austrū tendunt, imitando literam C. ab altera parte scilicet orientis Cronicus mons, & Zarex. Fluuii, Asopus, in sinum Corinthiacum ex Cronio profluens. Syos, ex Phole in eundem sinum. Aphæus amnis per mediam peninsulam in mare Ionium, interim cōgressus cum Paniso flu. qui idem in austrum digreditur. Postremo Inachus flu. cuius fons in Stymphalo monte, hostium ad mare Creticum.

Arcadia

Lacedæmonia

Argia

Montes

Fluuii

CAPVT XIII.

De *insulis maris Ionii, & Ægæi.*

PRimum ab Ionio pelago incipiemus, in quo apud Epyrum Corcyra insula, nunc Corfunium: sedes Pheacium ad quos Vlysses naufragium passus, appulit. habet gra. lon. 45. 36. lati. 37. 45. Cephalenia, quondam Melena, apud sinum Ambratium, lon. 47. 40. la. 37. Ericusa, sub gra. lon. 46. 40. la. 38. Echinades, ab

Corfuniū

ab Echinorum copia, apud sinum Ambratiũ, lon. 48. 10. la. 37. 15. Ab hac versus Austrum parua insula Ithaca, in qua mons Nerithus. Zazynthus, à Dardani filio Zazyntho, hæc etiã Hyriæ, sub grad. lon. 47. minut. 30. la. 36. 30. Apud hanc parua insula Letoia versus occasum. Apud Peloponnesum Strophades duæ ab aliis Plotæ dictæ, sub longit. 47. 30. latitud. 36. Spasia vel Spagia (vt habet Plinius) sub longitud. 48. la. 35. Cythera antea Porphyris, sub longitud. 50. latitudin. 34. 40. Aegina antea Oenone sedes Myrmidonum in sinu Megarico, sub grad. longitu. 2. minut. 20. latitu. 36. minut. 45. Ab hac versus austrum parua insula Salacis. Hic obiter notandum volo, quod in adsignatione longitudinis & latitudinis regionum, primus numerus significat longitudinem, alter latitudinem: Si verò prior duplex reperiatur, prior pars gradus, altera minuta valebit, si verò vnicus in priori ordine sit numerus, gradus significare certũ est. Similis est ratio de posteriori ordine siue latitudine. Sequuntur nunc insulæ maris Ægæi, quarum maxima Creta quæ nunc Candia dicitur terminatur à septentrione Cretico mari, à meridie Punico, ab ortu Carpathico, Extensa in longum. 270000. pass. Habet multas præclarasq; ciuitates. 100. enim vrbium clara fertur, hinc ἑκατόμπολις dicta fuit ab Homero, Mittit vinum optimum; Habet montes in- Candia. Montes.

signio

signiores Idæū vel Idam, Leucos, Cadiscum, Dictam vel Dictæum. Fluuios Masaliam, Helectram, Lithæum, & Pycnum. Medium insulæ est sub longitu. 54. lat. 34. 45. Cretæ adiacēt insulæ plures: Claudos ab occasu, lon. 52. 30. la. 34. Latoa versus austrum, lon. 54. 30. latitu. 34. 30. Dia insula ad Arctos Plinius Driam vocat, longitu. 54. 30. la. 35. 40. Cimolis insula ad orientem solem, lon. 55 30. la. 34. 30. Melos non longe à Dia sub lon. 54. lat. 35. 30. Quæ apud Achaiam describūtur. Euboēa insula satis magna, plus tamē in longum quàm in latum protensa: Hodie Negropōtus dicitur, Turcorumque imperio subest. Habet autem grad. lon. 53. 40. la. 38. 15. In ea aquæ calidę reperiūtur Hellopię dictæ. Ab hac versus Cretam & Achaiam, Thera sub lon 54. la. 36. 25. Plus ad Arctos Cia & Chy insulæ non longo dissidentes interstitio sub gra. lon. 54. 25. la. 37. Therasia sub lon. 54. 45. lat. 36. 18. Sequuntur dehinc plures insulæ in orbem collatæ, vnde nomen traxere Cyclades, quarum præcipuæ hæ sunt. Delos à mercatu & templo Apollinis celebrata, omniumq; Cycladum longe nobilissima, vbi primum ignem repertum esse autor est Pli. Olearos, quæ primo Pactia, postea Minoida appellata, marmore clara. Cythnos, Rhena, Myconos cum monte Dimasto: Item Andros, Tenos, quæ propter aquæ copiam Hydrusa dicta fuit, Scyros, Paros, Subium, Syphnus ante

Negropontus.

Cyclades

Mero-

Meropia, Naxos. harum omnium medium est sub gra. lon. 55. la. 36. 8. Sequuntur hinc versus Thraciã Sporades sic dictæ, quod in mari sint sparsæ. Sunt autem Helena, Phocusa, Hecaria, Schinusa, Pholegandros & Naxo, circa gradus lon. 56. la. 37. & semissis. Adiacet Thraciæ Lemnos insula Vulcani fabulis clara, et cuius fœminæ vna nocte facta conspiratione omnes maritos à bello reuersos occiderunt, habet gra. lon. 52. 30. la. 41. Ab hac versus Achaiam Sciathos sub lon. 52. 10. la. 39. 15. Peparuetos insula & ciuitas, lon. 52. 30. latitu. 39. 30. Scopelos habet longitud. 52. 30. lat. 39. 20. Demum Scyros insula sub lon. 54. la. 39. Plures sunt in hoc mari paruæ insulæ, quas tum ob multitudinem omisimus, tum etiam quia nõ multis autoribus decantatæ sint. Partem tamen in Asię descriptione enumerabimus. Huc vsq; de Europæ descriptione, nunc de Aphrica.

Sporades

Lemnos.

CAPVT XIIII.

De Aphrica.

APhrica quasi sine frigore (Φρίκη enim frigus significat) dicta putatur: apud alios Africa scribitur, à Græcis Lybia & Hesperia appellata fuit: Ea freto Herculeo, & linea à mari rubro in mare mediterraneum extensa, ab Europa et Asia diducitur. Reliqua pars omnis oceano alluitur. Diuiditur primum in Mauritaniam, quæ ab occiduo mari, & mediterraneo incipiẽs, in duplicem diuiditur Mauri-

Mauritania.

ritaniam, Tingitanam scilicet, et Cæsariensem. Mauritania Tingitana ab occasu oceano claudit, à septẽtrione mediterraneo mari, ab oriente Malua flu. à meridie Atlante maiori mõte: huius populi quondam fuére Masices iuxta columnas Herculis, deinde Cauni, Marensii, & Herpesigani. Hunc regnum Fessæ cõtinet, Fessa. & Fessam vrbem, iuxta gra. lon. 7. gra. la. 34. & semissis: in hac est Abyla mons, vna de co- Simica lumnis Herculis quã Hispani Simicam appellauerunt, eo quod simiarum copia circa hunc locum reperiatur. Altera est Mauritania Cæsa riensis, quæ ab ortu Ampsaga flu. terminatur, à meridie Atlante monte. Sumpsit nomen à Cæsarea ciuitate, sicut et illa à Tingi dicta fuit. Eius gentes sunt Taladusii, Nacbusii, Aquensii, Myceni, Metagonitæ, Socossii, Volibiliani, Durdi: Omnes autem harum regionum inco- Barbaria læ, Barbari, & ipsæ regiones Barbaria dicun- Aphrica. tur. Aphrica minor deinde sequitur post Ampsagam fluuium, vsq; ad Cyrenes extensa. Huius ea pars quæ proxima Mauritaniæ est Nu- Numidia. midia dicitur, Massiniss æ clara nomine. Numidarum autem ortum scribit Salustius ex Persis esse et Medis, de quibus postea sermo erit. Numidæ verò Nomades appellati fuerunt, eo quòd huc illucq; mapalia sua plaustris circũuehentes oberrarent. Reliquæ Aphricæ gentes Massylia. sunt Massyli et regio Massylia, quæ equos præstantes mittit. deinde Lotophagi, qui Loto ge-

nere

nere arboris victitāt qđ fructus fert fabæ magnitudine, crocei coloris, soporisq́; tā delectabilis, vt aduenis obliuionē patriæ inducere, fama sit: horū situs est apud Syrtim minorem. Sunt præterea Syrtesii, Iontii, Medemi, Nictii, Eleones, Misulani, Nattabutæ: Versus interiora Saburbures, Bazacites, Zetæ, Mimaces, Astacures, Eropæi, Dolopes, Nycpii, Macæ, Sigiplosi. Nihil harū regionū insigne, præter marmoris Numidici ferarumq́; prouentū, præterea circa Bizantiū terra tantæ est fertilitatis, vt agricolis cū centesima fruge fœnus reddat: Libyphœnices vocātur qui hāc partē incolunt. Sequitur ad orientē post Syrtim maiorē Cyrenaica vel Cyrene versus Marmaricā & Ægyptum, dicta etiam Pentapolitana à numero ciuitatum. In hac sunt horti Hesperidum, aurea poma ferentes: Fons solis versus Marmarides, quem noctu calidum, interdiu frigidum ferūt. Populi eius Barcitæ, Ararauceles, Asbytæ, Macautæ: deinde versus austrum inter montana Silphiophora regio, hoc est, Balsamum ferens. Psylli, quibus naturale robur aduersus serpentes inditum est.

Cyrene.

Fons solis.

CAPVT XV.

De Marmarica & Ægypto.

MArmaricam Libyæ cum Ægypto Pto. simul indistincteq́; describit: Illa tamē occidentalior est magisq́; ad Cyrenen & mare Punicum attinet, diciturq́; à Plin. Libya

Mare-

Mareotis: Ægyptus verò ad ſinum vſq; Arabicum & montana Æthiopiæ. Marmaricæ autem populi apud Ptole. quos nomos, hoc eſt, præturas appellat, hii ſunt: Libyarchæ, Aniritæ, Baſſacithæ, Apotamitę, id eſt, penuria aquarum laborantes, Augilæ verſus Libyam interiorem, Ammoniaca regio circa grad. lon. 55. minutis 20. la 28. Naſamones quos Plin. prius Meſamones, id eſt, inter harenas medios dictos ait: Anachiſæ, Tapanitæ, Aezari, Zigritæ, Chatani, Ogdeni. Sequuntur Adimaſchiduæ, Iobachi, Ruditæ, Proſoditæ: demum Sciatica regio proxima Ægypto. Deinde ſequitur Ægyptus regio diuiſa in duas præcipuas partes Inferiorem & Superiorem. Inferior proxima oceano inter Nili brachia findente ſe Nilo ita vt triquetram terræ figuram efficiat. Delta dicitur, ob ſimilitudinem literæ græcæ Δ, atque hęc à nonnullis inter inſulas reputatur: Superior Ægyptus cui à meridie Æthiopum regio prętenditur Thebais dicitur, in qua Thebæ centum portis nobilitata vrbs. Mediam verò Ægyptum Nilus flu. percurrit, qui ex mõtibus Lunæ (vt putatur) ortus per Æthiopum regionem interim ſeſe ad ſpatiũ aliquod condẽs, dedignatus ſcilicet fluere per harenoſa et ſqualentia, aliquando etiam in duas ſeſe diffindẽs partes, inſulas vaſtas efficit: & tandem compoſitis fluctibus placidoq; curſu per mediam Ægyptum in mare mediterraneum. 7. hoſtiis egre-

Ægyptus

Nilus.

egreditur. Hic singulis annis stato tempore per totam spaciatur Ægyptum, & sua inundatione terram fœcundam reddit, & interdum ad.18.cubitus sese extollit. Sunt qui ortum in Mauritania putent,eo quòd decidente pluuiæ copia apud Mauros, tum Nilus plurimum augeatur. Populi autem Ægypti sunt Goniatæ, Prosoditæ,Scythiaca regio Mastitæ,Nitriætæ, Oasitæ. Item Libyæ Ægyptii. Extremum verò eius & Marmaricæ est Diammos & Abrochos regiones, quibus ferè Tropicus Cancri per verticis punctum transit. Oram deniq; sinus Arabici incolunt Arabes Ægyptii: Australiores hiis Ichthiophagi. Montes Mauritaniæ sunt iam à nobis enarrati, quos diximus esse Atlantem maiorem,qui eam à Getulia di stinguit:hunc noctibus micare crebris ignibus ferunt, & fistularum tibiarumq; cantu impleri,& tympanorum sonitu resonare, adeoq; in altum erigi vt orbem Lunæ contingere videatur. Est item Atlas minor in Mauritania Tingitana,& mare quod hos montes alluit Atlanticum vocatur. Durdus mons mediã ferè Mauritaniam Tingitanã diuidit. Byrinus mons Cæsarienſi Mauritaniæ adiacet ex Atlante ortus. Sequuntur deinde Libyci montes qui Ægyptum à Marmarica disterminant. Item Climax mons & Anagombra. Fluuii harum regionũ multi sunt Sala flu.ex Durdo monte ortus per Mauritaniam in Herculeum fretum exit.

Atlas.

Montes.

Fluuii.

Malua flu. in eodem monte ortus in idem mare se exonerat, Mauritaniam Tangitanam à Cæsarienſi diuidens. Sanus flu. ex Atlante ortus versus Iuliam Cæsaream insulam defluit. Mulus ex Atlante, vbi Cinnaba dicitur, versus sinum Numidicum. Sequitur versus ortum Ampsaga flu. cuius fons in Busara monte, qui ex Atlante oritur, hostium in sinu Numidico. Postea est Rubricatus flu. In Cyrenaica regione Lacenus flu. qui Paliurum lacum efficit ingentẽ, in quo piscium magna copia: In Marmarica deinde ingentes reperiuntur paludes, Lycomedis palus, Mœridis lacus, fons solis de quo diximus, Laci palus iuxta Anagombrum montem.

CAPVT XVI.

De *Lybia interiori & Æthiopum regionibus.*

SVper has quas diximus regiones, Lybia interior describitur ingẽs & vasta, in qua solitudines montesq; plures occurrunt, vario genere animantium impleta. In primis à Mau-
Getulia. ritania versus meridiem adest Getulia, cuius incolæ feri sunt & vagi, regioq; aspera: Sequuntur qui Melanogetuli appellantur & Pharusii, qui per deserta vagantes vtres cum
Nigritæ. aquis secum deferunt. Nigritæ Æthiopes qui magnam partem Aphricæ occupant, atq; ad littora oceani occidentalis extenduntur, versus austrum verò ad Nigritim vsque fluuium,

cuius

cuius ea natura est quæ Nili, nam & eodem tempore augetur minuiturq;, eademq; animalia gignit, vt crocodilos. Hunc puto eundem fluuium esse quem Lusitani Senegam vocant, Senega. nã & huiuscemodi naturæ est hic fluuius: Præterea mirum circa hunc fluuium referunt, ab vna parte accolas prolixæ esse staturæ nigrosque, ab altera fuscos & breues. Sunt præterea Libyæ populi Garamantes, quorum fœminæ Garamãtes (vt fertur) cuiuis communes sunt: nulla enim inter eos matrimonia contrahuntur, nullaq; fides thori seruatur. Sequuntur Pyrei, Sathiodaphnitæ, Odrãgi, Mimaces, Lynxamatæ, Dolopes, Aganginę, Leucæ Æthiopes, Xilicæi Æthiopes, Calcęi Æthiopes, Nubi. Hi eum sitũ habẽt apud Ptolemæum quem nunc tribuunt regno Nubiæ. Hic Christianos nonnullos age Nubia regnum. re fama est sub ditione Presbyteri Ioannis. Ab his versus occasum Aphricerones sunt magna gens: quorum regio (quantum coniectura assequi datur) Regnum Orguene dicitur. Orguene Hinc ad occiduam plagam paulo q; ad Aquilonem Regnum Gambre, Item Budomel re- Gambre. gnum, non longe à Senega fluuio. Versus interiora regionum Ginoia, vel Guinea. Hic promontorium est quod caput viride dicunt, ad quod primum iter dirigunt Portugalenses, vbi in Americam contendunt: deinde hoc relicto, iter ad dextram versus Garbinum, hoc est inter occidentem & meridiem conuertũt,

Harum regionū littora iam satis lustrata sunt à Lusitanis: Incolæ verò penitus nudi incedunt, neq; contractus exercent. Restat Æthiopia describenda, quanuis & multi regionum dictarum populi Æthiopum nomine appellandi veniant. Est autem duplex: Vna sub Ægypto regio ingens & diues: huius est Meroë insula inter Nili amplexus contenta: ei fœminas præfuisse ferunt. Ab hac versus ortum Papa Ioannes suum obtinet imperium, quod etiam longe vltra Nilum, et vsq; ad littora maris Indici, & Erithræi extenditur. medium regionis ferè est in grad. lon. 66. la. 12. Circa hanc regionem habitant Clodii, Rizophagi, Babylonii, Axiunitæ, & Mosyli, Molybæ. Post hos sequitur Troglodytica regio, cuius incolę specus excauant: hæ illis domus: victus serpentium carnes, vt inquit Plinius, stridorq; non vox, adeo sermonis commercio carent. Blemines capite carentes oculos & os in pectore habere creduntur. Strucophagi, Gamphasantes nudi. Satyri, quibus præter formā nihil moris humani. Oripæi venatores, Mennones. Smyrnophora regio quæ myrrham profert. Deinde est Azania regio in qua plurimi sunt elephantes. Pars magna regno Melinde nunc tribuitur quod citra Æquatorem situm est. Incolæ contrahunt cum Arabiæ nationibus, regiq; huius magna intercessit cum rege Lusitaniæ amicitia: redditq; tributa presbytero Ioanni. Altera

Æthiopia

Papa Io.

Melinde.

Æthio-

Æthiopia quę interior dicitur, nondum ob sui magnitudinem nisi secundū littora in cognitionem venit. Describitur tamen hoc modo. In primis ab æquinoctiali versus austrum ingens regio Æthiopum, in qua elephantes albi & rhinocerontes, & tygrides gignuntur. Cinamomifera regio inter Nili cōplexus. Habech regnum siue Habaschia christicolarum regio, vltra citraq; Nilum locata. Ichthiophagi Æthiopes, quondam Alexandri magni armis deuicti. Antropophagi, Rhapsii Æthiopes iuxta montes lunæ. Gazatia sub tropico Capricorni. Habaschia. Gazatia.

Deinde est frons Aphricæ, caput bonæ spei, quod transcendunt qui ab Hispania Callicutium nauigāt. Qualiter verò nomina promontoriorum & sinuū appellētur, cum id satis lucide ex nostro globo haberi possit, superfluū esse putamus hic recensere.

CAPVT XVII.

De *insularum nomenclatura quæ circa Aphricam sunt.*

QVæ in mari mediterraneo sunt: Iulia Cæsarea supra Mauros ad gradus lon. 17. mi. 30. la. 33. mi. 40. Supra Numidas, Hydras insu. habet gra. 28. la. 33. Plus in ortum duæ, Calatha, Ægimius in gra. 31. 15. 33. 20. Cōtra Aphricam minorem Dracontius. 33. 15. 33. 15. Supra Siciliam, Glauconis. 37. 20. 34. 40. Melita. 38. 45. 34. 40. Cosyra. 37. 20. 34. 18. Herculis tem-

plum.38.45:34.5. Laruneſiæ duæ.37:33.30. Lopaduſa.39:33.20. Æthuſa.39.30.33.15. Cercinna deinde.39:32.15. In Syrti minori, Lotophagitis 39.20:31.18. In Syrti maiori, Miſynus, Pontia, Gea.medium habet.45.20:30.15. In mari Punico: Myrmex.48.40:31.50. Læa Veneris inſu. in gra.50.12:31.55. In mari Lybic. Ædonis inſu. 52.40:31.50. Syndarii ſcopuli treis.55.50:31.30. Æneſippa.56.30:31.30. Phocuſæ duæ.56.50:31.15 Pedonia.58.30 : 31.30. Dydimæ duę.60 : 31.30. Pharos habet longitud.60.minuto.20:latitud. 32.graduum. Quæ adiacent ad orientẽ ſolem, in ſinu Arabico. Prima eſt Saſpirena : deinde Aphroditæ ſiue Veneris inſula. Agathonis inſula.65.15.23.40. Aſtarta. deinde Ara Palladis. Gypſites, Gomadeorum duę in longitud.gra. 67.30.la.19. Myronis inſula : deinde Cathatræ duæ. Magorum inſul.68.latitud.16. Acanthina, Daphnina. Macaria.68.30.lati.14. Orneon auſtralior. Bachi & Antibachi, Panis inſula. Iſidis orientalior. Diodori in gra.71.lati.12.30. Mondi in ſinu Analitico ſub long.75.la.8.30. Quæ verò reſtant in ſinu Arabico, in Arabiæ deſcriptione dicentur. Sequuntur inſulæ quæ in mari Atlantico et occidentali oceano ſunt. E regione Durdi mõtis qui in Mauritania eſt.

Madera. Madera inſula ſic incolarũ lingua dicta, quòd lignis abundet: inſula quæ nullo quo vita ſuſtẽtatur humana indiget, ſub lon.359.ferè graduum latitudi.20. Ab hac non longa diſſidet

inter-

intercapedine, insula quæ Portus sanctus dicitur, sub lon. 30. quasi minutorum, latitud. 20. et 40. min. Sequuntur decem insulæ fortunatæ Atlantem aspicientes montem: etiam Canariæ dictæ, ob ingentes canes, quorum ibi copia est. Ptol. sex tantum adsignat & plus in austrum extendit. Quæ autem incoluntur sunt: Fracta lancea, Magna sors, Grancanaria, Teneriffa, Gienera, Palma & Ferrum, Tanta est in his cœli temperies, vt bis in anno fruges matureſcant, deinde habitationem amœnissimã præstant. Ex aduerso ferè capitis viridis sub latitudin 18. grad. magnus est numerus insularum, quibus non propria sunt nomina, sed ab euentu indita. S. Anthonii, S. Vincentii, S. Lucię, S. Iacobi & aliæ quæ quum nihil precioſi adferant, multum curandę non sunt. Præterea in sinu magno Aphricę, tres sunt nuper inuentæ insulæ primum incultę: Formosa, Principis, & S. Thomę quę sub Æquatore sita est: Iam ab aduenis Portugalensibus occupantur. Referũt in ea quę S. Thomæ dicitur, eos q nõdum adoleuerint, et pueros natos nihil ferè crescere. Quæ verò versus ortum Aphricæ adiacent insulæ ignotę ferè sunt, quales sunt Sancti Laurentii, quæ etiam Madagascar vocata putatur, Sancti spiritus, Monfra, Myrsiaca, Mene, Amici, & reliquæ, quarum situs ex globo facillime haberi possunt.

Portus sanctus

Canariæ

S. Thom.

CAPVT XVIII.

De Asia eius q; partibus.

ASia tertia mundi pars et maxima nunc reſtat deſcribenda, nudis tantum nominibus regionum & montium adſignatis. Eſt autem ab Europa Tanai fluuio, palude Mœotidis, Ponto, mariq; Ægæo: Ab Aphrica verò ſinu Arabico, deinde linea quæ hinc in mare mediterraneum ducitur, diſcreta. Nonnullis ab oceani filia Aſia dici videtur: aliis à Promethei matre. Eius multæ ſunt partes. Prima, poſt Europæ terminos occurrit Sarmatia Aſiatica, quæ nunc ſub Tartaria continetur, ab occaſu Tanai fluuio, Mœotidis palude vſque ad Cimmerium Boſphorum terminatur. A meridie montibus inde ad mare Hircanum: Ab ortu linea ex Rha fluuio ad Arctos extenſa: Reliquum latus terra incognita. Eius gentes in ſeptentrionali plaga ſunt Hyperborei Sarmatę, quorum regio nunc partim Ruſſia alba dicitur, regio ingens, ſyluis cõſita in qua argenti pelliumq; precioſarum copia: Partim Moſcouia, & gens magna ſed inculta Moſcouitarũ, qui cum Chriſtianę fidei ſint profeſſores, Pontificem tamẽ Romanum, Eccleſiamq; noſtram aſpernantur. Proximi ſunt Hippophagi, Perierbidi magnum genus, Iaxamatæ, Chenides, Neſiotis regio ad ortũ, Siracenii & Pſeſſii apud paludẽ Mœotidis, Apud montes Hippicos Amazonum regio, cui

Tartaria

Ruſſia. alba

Moſcouia.

Amazones

cui olim mulieres præfuere, bellumq; in vicinas nationes intenderunt, Tyrambæ, Arichi, versus Albaniam Zigi, Gerri, Conapseni, Mithrydatis regio. Post quam Melanchleni, Sapothremi, Scymnitæ, Suarni, Serii, Thusci, vbi Thurci legendum Erasmus censet: hincq; originem Thurcos sumpsisse contendit. Thurci.

Sequuntur Olonde, Vdæ, Bosphorani, iuxta pontum Achei, & Heniochi, postremo Sanarei. Adnumerant alii Hunnos, & Rhombitanos. Montes harum regionum præcipui sunt Hippici & Cerauni in medio fere: Corax contra Bosphorum situs, Caucasus sub Iberia & Albania ad mare Hircanum vsque. Fluuii, Tanais ex Ripheis montibus ortus in paludem Mœotidis decurrit: Rha maximus fluuius ex Hyperboreis montibus duobus in locis ortus in mare Hircanum. Rhombites ex Hippicis montibus in paludem Mœotidis. Montes. Fluuii.

CAPVT XIX.

De *Ponto*, *Bithynia*, *Asia minori*, *Lycia*, *Pamphylia*, & *Cilicia*.

POntus regio Ouidii exilium, cum Bithynia exaduerso Thraciæ sitæ sunt, intercedente Propontide ab occasu vsq; ad Olympū mōtem qui est in gra. lon. 57. la. 43. 30. Deinde ab Aquilone Ponto Euxino terminatur, ab ortu Galacia: deinde Asia proprie dicta. Eius regiones particulares sunt Chalcedonia, Timonitis, Bogdanis, apud propōtidem. Populi qui

multi & diuites sunt apud Galatiam & Pontum Euxinum dicuntur, Mariandini, deinde Zigianæ. Montes Olympus sub Mysia: Horminius mons in gra. 59. 30: 42. 40. Fluuii. Sangarius mediam Bethyniam percurrens ex Dydimo monte in Põtum Euxinum. Ascanius fluuius, qui Ascanium lacũ efficit, Psyllis fluuius. Parthenius flu. cuius hostium prope limites Bithyniæ & Galatiæ.

Asia. Asia minor vel Asia proprie dicta, nunc Thurcia appellatur.

Thurcia. Limites eius occidentales, Hellespõtus, deinde Ægeũ, Icarium, & Myrtoum maria. Reliqua latera Galatiæ, Lyciæ & Pamphyliæ confinia, in globo nostro suis lineis discernuntur. Multæ sunt huius & copiosę regiones. Initio post Bithyniæ limites apud Hellespontum duæ Mysiæ:

Mysiæ. minor quæ occidẽtalior est, & maior quæ orientalior. Intercedit autem Rhindacus fluuius. Inde versus austrum Phrygia, quæ & Troas:

Phrygia. quam olim sub Æolia cõtentam fuisse, author est Volaterranus: & Troadas fuisse Æolas. Nonnulli duplicem distingunt Phrygiam, hãc minorem vocantes, maioremq; inter Galatiã, Pamphyliam & Cappadociam locantes. Proxima est Doridis regio: Post quam Pentademitæ sunt: Hinc eregione Euboeæ insulæ, Ly-

Lydia. dia Mœoniæ. Supra hanc Ionia. Demum Caria ex aduerso Rhodi insulæ, Populi occidui Olympini Mysomacedones, Trimenothuritæ, Pentademitæ, Orientaliores versus Galatiã,

Mace-

Macedones. Mœoniæ, Erizeli, Apud Lyciam Lycaones quorum regio Lycaonia: Themisonii. Apud Bithyniam Moccadyni & Phulacēsii. Montes harum regionum. Ida, ex quo quatuor fluuii, Esepus, Grenius, Simoëntes, & Scamandrus, in Hellespontum vergunt. Phrygiæ mons Cimeus. Mons Timnus in grad. 57. 40: 40. 30. Supra hunc Lydiæ montes Mesotes, Tmolus & Mimas non longe dissiti. Micale mons inter Caistrum & Meandrum fluuios. Fluuii iam partim enarrati sunt: qui restant hi sunt: Caicus apud Timnum ortus mare Ægæum ingreditur, Hermus infra Sipylum montem ortus. Pactolus supra, in mare Ægæum. Hic postremus ab auri harenis clarus habetur. Caistrus ex Sipylo in mare Icariū Mæandrus ex Celenorum montibus super Ioniā flexuosis adeò recursibus procedit, vt sæpius redire videatur, demum in Icarium mare sese exonerat. Lycia omnis montibus Phœnice, Cadmo & Masicyto, à Caria, Asia minori, & Pāphylia distinguitur: deinde mari Lycio. Populi olim Tremyli & Solymi dicti fuerunt. Montes iam iam dicti sunt. Fluuii: Calbis ex monte Graga ortus: Xanthus ex Cadmo fluuius ingens: Lymyra ex monte Masicyto. Omnes versus meridiem mari se admiscētes, medium est sub gra. lon 60. 30. la. 36. Pāphylia Lyciā secundū littus ad ortū seqtur: à Cilicia fluuio Cestro, deinde montibus & mari terminata. In ea Pto. has ad-

Montes.

Fluuii.

Pactolus.

Męandrus

Lycia.

Pamphylia.

signat

signat regiunculas: Carbaliam quæ etiam partem Lyciæ occupat. Phrygiam quã maiorem nonnulli dicunt, in parte Septentrionali & Occidentali, Pysidiam deinde versus exorientem solem. Gens est latrociniis multum dedita. Terra olearum fertilis. Habet autem montes continuos Lyciæ montanis, horum qui maxime in Septentrionem extat Celenorum tumulus dicitur, qui deinde Lyciæ attinet. Taurus mons, qui per totam Asiam, Armeniam, Scythiamq; flexuosus serpit: innumeris flexibus nominibusq; subinde affectus. Ex hoc Cestrus flu. Pamphyliæ descendit in mare Ægyptiacũ. Sunt præterea fluuii duo, Cataractus occidentalior Cestro: Eurymedon medius inter vtrũque. Medium obtinet grad. lon. 62. 30. la. 37. 20

Cilicia. Cilicia deinde vsq; ad sinum Issicum, & montem Amanum extenditur, à septentrione monte Tauro: ab occasu Cestro flu. deinde mari finita. Cilices à Cilice Agenoris filio per occupationem nomen sumpsere. Sunt autem eorũ post Pamphyliam vsq; ad ortum hæ regiones: Leontidis, Thracia quam Ptolemæus asperã regionem appellat, Cetida & Lalassida à Cestro vsque ad Orimagdum fluuium. Hinc Characia ad Calydnum flu. Lamotidis deinde ad Lamum flu. Postea Lacanitidis ad Sarum fluuium: mediam hanc Cydnus fluuius irrigat. Postremo est ad finem vsque regionis Cilicia proprie dicta, per quam Pyramus fluuius

ex Tauro in mare Cyprium descendit. Montes & Fluuii dicti sunt. Omnes autem hæ regiones hoc capite dictæ sub dominio Thurcorum sunt.

CAPVT XX.

De *Galatia, Cappadocia & insulis circa regiones dictas.*

GAlatia quæ etiam Gallogræcia fuit dicta, quia post multos errores à Gallis occupata, inter Bithyniam, Asiam minorẽ, Cappadociam, Pamphyliam & põtum Euxinum continetur, Regio sanè ingens fertilis ac diues, quam etiam Thurcorum Imperator suæ adiecit ditioni. Diuiditur in regiones aut prouincias has. Prima est ad littus Ponti Paphlagonia. Deinde Isauria montanis Pamphyliæ & Asiæ minoris confinis. Eam Lycaonia versus ortum sequitur, partẽ etiam Cappadociæ possidens. Gentes Galatiæ Toliboſti monti Dydimo vicini. Tectosagæ à Gallis profecti, mediterranea incolunt. Proserliminite, Tilistobogi. Montes Oligas sub gra. 63. latitud. 42. 20. Hinc Zaliscus fluuius in Pontũ exit. Didymus mõs. 61. latit. 40. 30. Sumit hic originem Sangarius fluuius. Demũ ex media Galatia Alis fluuius in Pontum defluit. Cappadocia olim Leucosyria, à Cappadoce eius regionis fluuio nomẽ accepit. Regio frumento pecoribusq; præstantibus nobilis, præsertim equorũ laudibus exaltata: Hæc inter Halim fluuium ab occasu, inter

Montes Galatiæ.

Cappadocia.

ter Taurum, Antitaurum & Scordiscum montes & Thermodontem fluuium continetur. Pto. in præturas ferè distinxit, scilicet Antiochianam apud Ciliciam, deinde Thyanidis & præturam Gardaucretam, Præturam Ciliciæ & Chamanensem. Præterea in Pontum Galaticum apud Pontum Euxinum: in pontũ dein de Polemoniacum. Extremum regionis Leucosyri incolunt. Tenet mediterranea mons Argeus sub gradibus longitudinis. 66. latitu. 40. Vnde Melas fluuius per Armeniam minorẽ decurrens postea Euphrati admiscetur. Mediam autẽ Cappadociam flexuoso ambitu Iris fluuius peragrat, ex monte Scordisco, qui est in longit. 68. 40. la. 41. 30. in Pontum Euxinũ.

Insularum descriptio.

Insulæ verò quæ circa regiones præscriptas adiacent hæ sunt. In Ponto Euxino cõtra Bythiniam Cianeis insula in gradibus longitudinis. 56. 20. lat. 44. Thynias e regione hostii Sangarii fluuii. 57. 40: 43. 20. Irythinus scopulus plus in orientem sub longitudine. 58. 30: 43. 25. Lesbos insula magna in Ægeo mari ex aduerso Asiæ, etiam Mitylena vel Mitellinum dicta,

Mitellinũ.

diui Pauli actis clara sub gradibus long. 55. 25: 39. 48. Tenedos à Tenide puella, dicta prius Leucophris in Hellesponto ferè sita sub lon. 55. la. 40. 45. Pathmos Posidium, Chy, vel Myndus vna Insula maris Ægæi. 56. 20: 38. 25. Icaria vnde mare Icarium, quod aliis à Dedali filio sic appellatum est, habet longitu. 56. 45: 37. 30.

Pathmos.

Samos

Samos, Parthenias, Athemus, Melamphyllus Straboni nunc Samothracia dicitur, patria Pythagoræ sub longitud. 56. 30: 37. 18. Mynia. 56. latitud. 36. 30. Choa vel Cos insu. Hyppocratis medici natale solum, quæ etiam Merope dicta fuit, sub gradibus. 57. latitudinis. 36. 25. Apud Cariam Astipalæa, 56. 30: 35. 40. Carpathus insula, à qua mare Carpathicum. Hæc nonnullis Porphyris dicitur sub longitudine. 57. 20. latitud. 35. Rhodus sic dicta eò quòd Ῥόδον, hoc est, rosa, inter iaciendum fundamenta vrbis Rhodi sit inuẽta. Hæc à Christianis capta fuit annis hinc. 226. nunc iterum Thurcorũ vi possessa. Habet gradus. 58. 30. la. 35. 30. Supra Lyciam Maxima, vel Megista. 60. 48. latitu. 35. 15. Dolochista. 60. 48: 35. 45. Chelidoniæ scopuli quinque. 61. 30: 36. 10. Crambusa in mari Pamphylico. 62. 40: 35. 50. Sequitur demum in sinu Issico Cyprus insula Veneri sacrata: vnde Venus dea Cypria vocatur: Hæc prius Crypta fuit dicta, quia maris vndis videatur abscondi: Item Ceraștes, Amathusia & Minois. Mittit vinum optimum. Medium ipsius habet grad. 65. 48: 35. 30.

Samothracia.

Rhodus.

Cyprus.

CAPVT XXI.

De Colchide, Albania, Iberia, Duabus Armeniis.

COlchis, Iberia & Albania montibus inter se discernũtur qui ex Caucaso originem

nem habent. Colchis regio ad Pontum Euxinũ terminatur, diues opũ, & amnibus auriferis nobilitata. Hinc fabula est Iasonem ex Thessalia cum Argonautis huc aduentasse, aureumq; vellus abstulisse. Continet regiones quæ dicũtur Erretica, Mauralia & Zala. Mõtes ab aquilone prætensi ex Caucaso oriuntur. A meridie Moschii adiacent. Fluuii Corax, Hippus Cyaneus, Phasis, omnes diuersis locis ex Caucaso orti, in põtum Euxinum exeunt. Proxima est Iberia, cuius gentes bello multũ valent. Deinde ad mare Caspium Albania sic dicta, quia incolarum pueri (vt inquit Gellius) albis capillis nascuntur, aut in pueritia canescũt, & plus cernunt noctu per oculos quàm interdiu. Regio frigida & aspera. Canes tãta corporis mole gignit, vt taurum & leonem premant. Tres autem dictæ regiones hodie Tartariæ adscribuntur: Mons Caucasus hanc à Sauromatis dirimit. Habet autem idem mons portas, quas Sarmaticas vocant authores, circa gra. lon. 81. la. 40. 30. Item in gra. 77. la. 47. Et portas Albanias sub gra. 80. la. 47. Fluuii Albaniæ Cyrus, Albanus, Cæsius, Gerrus, & Soana ex Caucaso profluentes in Caspio mari desinunt. Sequuntur duæ Armeniæ quarum quæ maior dicitur habet ab occasu Euphratẽ, deinde Moschios montes qui sunt sub gra. longit. 72. 30: 43. 30. ab aquilone eosdẽ Moschios ad mare Hircanum vsque: ab ortu Caspios montes: à meridie

Iberia.

Albania.

Portæ Sarmaticæ.

Armenia maior

meridie Taurum montem. Diuiditur in Cotazenam apud Pontum: in Tosarenam & Totenam supra Iberiam, vbi nostri sæculi Geographi Georgianos describũt quos Christi fidem defendere ferunt. Deinde est Siracena, Sacapena, Hobordena, Sophena, Astamitis, Acilisena vsq; ad Caspios montes, Anzitena, Gordena: Demum Coricea, Gordiæa, & Mardorum regio. Montes: Antitaurus qui ex Tauro procedit. Periardes in gra. lon. 76. latit. 42. 40. Hinc Euphrates fluuius nominatissimus oritur qui Armeniam in duas diuidens partes dein post mille circuitus Tygri coniunctus iuxta Babyloniæ limites in sinum Persicum egreditur. Ex eodem etiam monte fontes habet Araxes fluuerum hic versus ortum defertur. Armenia minor quam eãdem volunt esse quæ in libris Regum terra Ararath dicitur, continet Pontũ Cappadociæ iuxta littus Ponti. Gissos montanis Iberiæ vicinos. Deinde præturas, Orbalissenam, Ætulanam, Ærethicam sub Antitauro, Horsenam, Orbisenam, Melitenam apud Melam fluuium. Sub Cilicia Muriannam, Cataoniam, Lanianam & Arauenam. Hæ duæ Armeniæ Turcorum ditioni subsunt.

Georgiani.

Periardes mons.

Euphrates.

Armenia minor.

Ararath.

CAPVT XXII.

De Syria, Mesopotamia, Assyria, Iudæa, & Babylonia.

SYria regio sacris literis multum celebrata terminatur ab occasu mari Syriaco &

monte Amano. E regione fluuio Euphrate & parte Arabiæ desertæ. A meridie Iudæa, intercedente Carmelo monte. Plures eius sunt regiones Comagena apud mõtem Albanum. Cirrestica inter Singam & Euphratem fluuios. Pieria in littore sinus Issici, deinde Seleucis à Seleuco primo rege Syriæ. Calybonitis ad Euphratem fluuium. Cassiotis apud montem Casium. Chalcidica re. Apamena. Ad littus Phœnicia ex qua Phœnix auis. Sub Libano mõte Laodicina regio & Palmyrina. Prope limites Arabiæ desertæ Saccæa regio & Bethanæa. Item Trachonitæ Arabes. Vltima est Cœlosyria vel Curuasyria sic dicta quia inter duos mõtes curuos Libanũ & Antilibanũ cõtinetur. Estautẽ tota regio Syriæ variorũ opũ diues, frugũ fertilis, & balsamis opima. Mõtes habet Pieriam in gr. 69. 40: 35. 35. Hinc Sinoas flu. versus aquilonem ad Euphratem vsque procedit. Casium montem, 68. 50: 34. 45. Libanum montem diuersarum specierum fertilitate prædítum. 69. 20: 33. 30. Hinc quatuor fluuii labuntur, Adon in occasum, Eleutherus in occasum hybernum, Orcus quem nũc Verne vocant in aquilonem, Chrysoroas in oppositam partem, Antilibanum montem in long. 68. 40. latit. 32. 40. Ex hoc Leon flu. mare Syriacum petit: & Iordanis flu. late per Iudæã spargitur. Hippum montem in lon. 68. 30. la. 30. Demum apud Arabiam desertam Alsadamũ montem in gra.

Montes.

Libanus.

Iordanis.

in gra.lon.71.la.33. Iudæa inter Syriam Arabiã & Ægyptum consistit olim Palestina Syria dicta. Diuiditur in Galilæam proximam Syriæ præscriptæ, quę regio est frumenti, vini, & olearum fœcundissima: In Idumæam secũdum littus maris Ægyptiaci quæ Nabathęa & terra Edom dicitur, regio etiam frugum fertilis. In Iudæam mediterraneam cuius est Hierosolyma longe clarissima vrbium orientis. In Samariam oriẽtalem cuius sunt Samaritani quibus cum Iudæis parum conuenit. Mediam Palestinã irrigat Iordanis fluuius qui se in tres lacus diffundit quarum prima Genesara (vt habet Pli.) aut Genesareth vocatur, deinde hic fluuius in mare mortuũ sese immittit siue Sodomorum (Plinius Asphaltitem lacum vocat) à quo postremo ebibitus aquas laudatas pestilentibus mixtas perdit. Mesopotamia inter duos fluuios Tigrim & Euphratem cõtenta est, vnde & nomen accepit. Adsignantur regiones hæ. Initio post montana Armeniæ, Anthemusia Chalcitis & Gauzanitis. Apud Tigrim Acabena: Sequitur mediterranea Ingena. Versus Arabiam Ancorabitis regio. Regiones sunt diuites, fertiles, & ab armẽtorum pascuis laudatæ. Plinius omnes sub Syria complectitur. Mõtes Casii ab Aquilone. Syngaras sub grad. 77. la. 36. 25. Fluuii Chaboras & Ascoras, vterq; ex Casio monte ortus in Euphratẽ incurrit. Assyria ab Assur dicta secundũ Iosephũ de Antiq.

Iudæa.

Galilæa.

Idumæa.

Samaria.

Mare mortuũ vel Sodomorum.

Mesopotamia.

Assyria.

Tigri à Mesopotamia, ab aliis regionibus mõtibus distinguitur vsq; ad Euphratis & Tigris conuentum. Regio amœna & temperata diuisa in Calcenam proximam Mesopotamiæ: Arrapachitam versus Mediam: Adiabenam vicinam Babyloniæ. Mons Niphates ab Armenia prætenditur, ex quo Lycus, Caprus, & Gorgus fluuii in Tigrim vergunt. Babylonia inter Euphratis ambitus ab occasu & aquilone comprehenditur. Ab orientali Tigri, deinde sinu Persico & montibus. Septentrionalior eius pars Auchanitis regio dicitur. Media regio Chaldæa in qua campus Duran & Turris Babel, hæc eadem Astronomos præclaros educauit. Sequitur deinde Mardochæa regio. Australem plagam Strophades incolunt. Regio est cum frugum, vitium fertilissima, tum etiam rerum preciosarum ditissima, in sacris literis Sennaar dicta.

Babylonia.

CAPVT XXIII.

De *triplici Arabia.*

ARabia triplex est. Proxima Palestinæ Iudææ & Ægypto Petræa dicitur, à Petra oppido quod Nabatæi (vt inquit Pli.) incoluerũt. Continet regiones Munichiatim & Sarraceniã. Gentes sunt Pharanitæ, Ismaëlitæ, Agareni, Fatheni, Moabitæ, Ammanitę & Gerræi. Mons Syna quem Pto. Melanem appellat sub gra. lon 65 la. 30. Altera est Arabia deserta regio ingens, montuosa, harenosa & vere

Arabia petræa.

Arabia deserta.

deserta

deserta, cuius incolæ sunt Bathanæi, Orcheni & Martemi. Tertia est Arabia quæ cognominatur fœlix: Nec iniuria, nec præter soli fertilitatem multis aromatum generibus abundat, qualia sunt Aloë, Myrrha, Cinamomum. Camelos alit, Auri gemmarum copiã habet, quæ subinde ad regnum Melindæ Aphricæ deportantur. Clauditur autem regio à septentrione montibus à Meridie mari: deinde duobus sinubus Arabico & Persico quibus in modum peninsulæ clauditur. Inter plures gentes quas Pto. adsignat sunt apud sinum Arabicum siue mare Rubrum Banubari, Sabœi, quorũ regio Saba vel Sabæa diues opum, aromatumq; fertilis. Elezara regio. Mediterranei sunt Oaditæ, Saraceni, Mesamanes, Alapeni, Scœnitæ vagi homines, Smynophora regio duplex, interior & exterior: hæc myrrham fert. Homerita regio oceano proxima, Gerræi, Anaritæ, Ichthyophagi qui piscibus tantum vescuntur. Versus ortum sunt Sophanitæ, Macæ & Thurifera regio. Montes: Zames in long. 76 la. 25. Hippos lon. 67. la. 27. 15. Climax in lõ. 76. 30 la. 16. apud hunc Stygis aquæ fons est. Maritha mons. 80. 30. la. 21. hinc duo fluuii Laris & Prion fluunt, hic in austrum ille in aduersam partem. Didymi montes & Zames versus ortũ recedunt, vnde Hormanus flu. oritur. Melas mõs in gra. 81. 30. la. 12. in hoc oliuæ crescunt. Insulæ quæ in sinu Arabico sitæ sunt iuxta littus. Zygena, Dœ

Arabia fœlix.

Sabæa.

Arabiæ montes

monum insula in grad.66.45.lat.23.15. Polybii 67.40.21.20. Ieracum.69.30.la.19. Socratis inſ. 70.la.16.20. Cardamina, Combuſta.70.30.14. 20. Malichæ duæ.72.30.12.30. Dioſcoridis inſul. 86.la.11.30. Zenobii ſeptem.91.la.16.30. Sarapia dis quam alibi Serapionis dictam vidi,ſub lõ. 94.lat.17.30. Scoyra Chriſtiana cuius incolæ archiepiſcopum habent,ſub.98.la.8. Dediuius ad ſeptẽtrionem duæ inſulæ Virorum & Fœminarum. Alteram enim harum quæ eſt in lõ. 94.la.13.30.ſoli viri incolunt. Alterã verò ſub eodem parallelo ſitam ſed plus ad ortum ſolæ fœminæ quæ ſingulis annis ſemel conueniunt cum viris eſſeq; Chriſtiani perhibentur.

Virorum & fœminarũ.

Ormus. Ormus inſula diues circa quam margaritarũ copia inuenitur in lon.94.30.la.21.gra. In ſinu Perſico. Appha, Ichara, Iharo, Tylus & Arathos inſulæ ignobiles,

CAPVT XXIIII.

De *Media, Perſidi, Parthia, Hircania, Margiana, Ariana, Drangiana, uicinisq; regionibus.*

MEdi nomen à Medea nacti maiorẽ Armeniam & Aſſyriam verſus ortum ſequuntur, Caſpiis & Thoatra montibus diſtincti. Strabo in Ecathanam & Atropatiam diſtinxit. Gens eſt diues & armis potens, Continet regiones Marianam, in qua lacus eiuſdem nominis, Cheliam, Marundiam, Ragianã. Gentes: Caſpios apud Caſpium montem & mare

Caſpium.

Caſpium. Caduſios, Tapuros & Madaſſos. Mõ tem Zagrum. Fluuios, Cambyſim & Cyrũ ex Caſpiis mõtibus in mare Caſpium, Amardum ex Zagro in idem mare, qui lacum Marianum efficit. Suſiana auſtralior eſt Media parte Babyloniæ, Aſſyriæ, Perſidis, & ſinus Perſici intercepta: nonnullis ſub Perſide comprehenſa, huius fructus feruntur perpetuo virere. Perſis ſeu Perſidis, mõtibus, ſinu Perſico, & Dara fluuio à Carmania terminata: cõtinet ſub ſe Achę meniam, Drangenam & Elymæam regiones. Rurſus Caltapitim & Miſdiam: Rapſiam & Hippoſagiam. Perſæ ſolem deum ſtatuũt. Iidẽ ſi cum ſuis matribus coëant, inde magos generari non dubitant. Sequitur Parthia montibus vndiqꝫ cincta. Eius regiones ſunt Comiſena in parte ſeptentrionis, Sabiena in oppoſita: regiones quæ feras ſæuiſſimas & ſerpentes alit, Parthi arcubus equisqꝫ exercendis plurimũ valent, adeò vt tam priuata quàm publica officia equis obeant. Hircania ab occaſu Medos habet, à meridie Parthos quos Coronus mõs dirimit: ab ortu Margianam: deinde mare Hircanũ. Regio vini ferax: vbi apes in arboribus mellificare autor eſt Strabo. Prouincias habet Siracenã & Arſitim & Aſtauenã. Fluuios Moxeram & Secandã, vtrumqꝫ duobus fontibus ex Corono mõte in mare Caſpiũ fluentẽ. Huic adiacet in mari Hircano Talca inſ. in gra. 94. la. 42. 30. Margiana regio admodum vitifera, etiam

Suſiana. Perſæ. Parthia. Talca. Margiana.

etiam vndiq; montibus obiectis finita est: qui versus Ariam & austrum Sariphi dicũtur, versus Hircaniam Masdoranus. Mediam regionẽ Margus fluuius (vnde regioni nomen est) diuidit: qui duobus fontibus ex Saripho scaturiẽs, in mare Hircanum cum Oxo fluuio exit. Populi secundum Pto. Dereccæ, Massagetę, Parni & Tapuri, hi meridionales, illi septentrionales, Massagetæ medii: qui parentum ac amicorum ęgrotantium carnes esitare feruntur: nam miserum iudicant quempiam morbo interire.

Massagetæ.

Aria. Ariam regionem cum aliquot sequentium, Plinius sub India aliquibus contentas esse ait. Pto. seorsum descripsit. Terminatur vndequaque montibus, Masdorano ab occasu, eregione Paropaniso: à meridie Bagoo monte: qui regionem incolunt, septẽtrionales sunt Nisęi & Astaueni: australes Borgi, Ceserotę & Scorpiofera regio: medii Drachamæ, Paruti & Etymandri. Dionysius regionem sterilis esse soli ob solis ait adustionem, corallium tamen proferre, vitesq;, supra quàm alię regiones, ferunt.

Scorpiofera regio.

Drãgiana. Drangiana Ariam sequitur versus austrũ, intercedente Bagoo monte. Australe latus finit mons Bætius, Orientale linea ex Paropaniso monte ducta ad austrum. Diuiditur in Darandas, Batrios & Tatacenam regionem. Transit eam Arabs flu. cuius hostiũ in Bagoo monte. Incolæ lapidum precioſorũ, vestiumq; copiã habent sericarum. Arachosia Drangianam ad occasum

Arachosia.

occasum relinquit: à septẽtrione Parueti mon tes sunt iuxta quem habitant Pargyetæ. Sydri versus occidentem recedunt. Poplutæ mediã tenent. Eoritæ australem plagam. Hos omnes Dionysius λινογχλαίνους appellat, id est, lineis vtentes vestibus. Arachosus flu. sese in lacum ingentem diffundens ex Parueto monte ad Indum flu. transit. Carmania duplex est: Carmania. Altera deserta cuius populi & situ & moribus Persis sunt affines: sunt autem Yscithæ, Madomastæ, & Cuchi. Altera quicquid inter montes Persicos & sinum Persicum est, complectitur: sub diuisa in Rhudianam, Agdenitim, Parepaphitim & Cabadenam regiones, ad littus sinus Persici. Rursus in Aras, Caradras, Cautonicas & Chelonophagos, hoc est, testudines comedentes, ad littus maris Indici. Demum sunt maxime septentrionales Cameloboſci vel Zozotæ gens bellicosa quæ asinis in bello vtitur. Montes huius regionis Stron- Montes. gilus & Semiramis, in grad. 94. 20: latitud. 25. Sunt item ignobiles alii in medio regionis, ex quibus sex fluuii Dara, Cathrappis, Corius, Fluuii. Achindana, Andanis & Saganus in sinũ Persicum fluunt. Salaris verò flu. ex iisdem montibus in sinum Paragonicum Indici maris. Ge- Gedrosia. drosia Persicis montibus Boetio, & Indo flu. intercepta est, cuius regiones, Paradena & Pariſſena: hæ capud Indum flu. illa apud Boetiũ montem. Gentes Parsiræ, Carmaniæ & monti-

bus contiguæ, Rhamnæ apud Indum flu. Mu-
zareni mediterranei, fortasse legendū est Gu-
zareni: nam in hac parte describitur hodie re-
Guzarath gio Guzarath. Proxima est Cambaia, ad littus
Cambaia maris Indici etiam sub Gedrosia contēta: quæ
regem habet & ciuitatē Cambaiam regalem.
Bactriana Bactriana & Sogdiana duæ regiones, Oxi flu
uii flexuoso ambitu distinctæ: terminantur ab
occasu, Margianæ montanis: à septētrione &
Scythia, Oxiis montibus & Iaxarte flu. ab or-
tu Comedorum montanis, deinde Paropani-
so. Bactriana sub se continet Chomaros, Sala-
teras, Zariaspas septentrionales. Medii sunt To
chari, Aciuacæ, Scordæ, Varni & Sauadii. Me-
ridionales Comi. Tambysi, Orsipi & Amaris-
pi. His mos est neminem pro delicto morte,
sed exilio tantum punire. Fluuii Gardamanis,
Zariaspes, Dargœdes ex Paropaniso originē
trahentes, omnes cum Oxo fluuio cōgrediun-
Sogdiana tur qui etiam in eodem monte oritur. Sogdia-
norum incolæ Iatii, Thacori, Augali, Oxidraa-
næ, Drybactæ & Candari septētrionales: Mar
dyeni & Drepsiani apud Sogdios montes, qui
sunt in gra. 115. la. 47. ferè. Pasitæ, quibus Oxii
montes adiacent in gra. 108. la. 47. Choraſmii
& Vandabanda regio versus Indiam. Oxia-
ni medii. In hac arbor papyrus foliis tam va-
stis nasci dicitur, vt quatuor pedes in longitu-
dine æquet. Sequitur Paropanisadum regio
versus omnem partem montium collibus ferè

com-

compressa, Paropanisus ab occasu & septentrione, Caucasus qui piper mittere fertur ab ortu, Paruetus ab austro. Incolæ Bolitæ septentrionales, Aristophyli & Parusii occidentales, Ambautæ orientales, Parsietæ australes. Fluuii, Gardamanis in medio ortus versus aquilonem Oxo flu. adiungitur, Chos flu. cuius fons in Parueto monte Indo admiscetur. Regio (vt fertur) præter oleum omnia proferẽs quæ vitæ necessaria sunt, quam Marcus Venetus regionem Torquestensem videtur appellasse.

Paropanisides.

Torquestẽsis regio.

CAPVT XXV.

De *Sacis & Scythis.*

SAcę vel Sacosani genus hominum est sagittariæ artis peritissimum, syluas lucosq; inhabitans: nulla enim in eorum regione sunt oppida: totaq; montibus contiguis circumsepta est. Nonnulli sub Scythis comprehendunt. Ptol. Sacarum regionem distribuit in Caratas septentrionales, in Comaros, in Grinæos Scythas Toornasq; mediam incolentes regionẽ, in Aristes & Comedas vnde montes Comedorum occidentales: in Byltas australes: in Massagetas orientales, quibus Ascatangas mons adiacet in grad. 133. la. 47. Sacæ quas optant sponsas prius bello adipiscũtur: qui si ibi vincãtur perpetuę seruituti addicti in cauernis latitant. Scythia omnis secundum Ptolemæum ab occasu habet Rha fluuium terminum Sarmatiæ:

Scythia.

matiæ: à ſeptentrione terram incognitam: ab ortu Sericam regionem, cuius limes eſt linea per montes Caſios ſurſum deorſumq; ducta. A meridie partim Hircanū mare Sogdiosq;, partim Sacas & Imaum montem. Plinius & alii etiam Sogdios, Margianos & Sacas ſub Scythis comprehendunt, atque hi Imao monte eam ab India ſeparāt, ea ſcilicet parte montis quæ in ortum occaſumq; diffunditur. Altera Imai pars ſurſum deorſumq; tenſa Scythiā duplicem diſtinguit, intra Imaum & extra Imaum occidentalem & orientalem. Populi eius nullis conſtant terminis, eo quòd agros non colant neque conuenticula celebrent. Nominantur his ferè nominibus: Alani Scythæ, Suobeni & Alanorſi citra Alanum montem. Aſmani, Canodipſas regio, Erymni verſus Sarmatas: Mologeni, Samnitæ, Machetegi, Scymbi, Iaſtæ, Galactophagi comedentes lac medii: Aſiotæ, Noroſſi, Iaxartæ ad mare Hircanum: Anaræ, Aſcotancę, Tectoſacæ verſus Imaum montem. Atque hi Scythiæ interioris ſunt, quæ tota hodie Tartaria magna vocatur, multumq; vltra Hyperboreos montes ad ſeptentrionem protenditur vbi multæ & ſyluæ & feræ. qui reſtant in vlteriori Scythia ſunt Abii, hoc eſt, non iniqui Scythæ. Hippophagi, Hippopedes, Homobii. Caſſia regio quæ Caſſiam fiſtulam ferre dicitur, Achaſſa regio, Huius etiam fertur eſſe Tharſos regio cui præfuit

Scythia duplex

Tartaria.

Mele-

Melchior magus. Item Arimaſpi qui (vt refert Plin.) vnum oculum in fronte tantum habent. Neoterici Mongaliſtarum regionem appellant. Montes harum regionum ſunt: Rhymnici vnde Rhymnus flu. in mare Hircanũ abit, in gra. 94. la 56. Sunt præterea Alani montes, Noroſſus, Aſpaſii, Tapuri & Aranæi, omnes ferè ortum ex Imao ſumentes. Mõgaliſtę.

CAPVT XXVI.

De *India*.

TOta regio Indiæ Indo fluuio ab occaſu, Sero flu. ab ortu: Imao, Emodiis, Sericiſque montibus ab aquilone, deinde oceano includitur. Mediam autem Ganges flu. vel Phiſon qui è Paradiſo oriri dicitur diuidit: vnde duæ diſtinguuntur Indiæ Cis Gangem & Citra Gangem. India intra Gangem populos continet multos & diuerſos cum nominibus tum etiam moribus: quorum qui ſtatim Indum ſequuntur Gymnoſophiſtæ magi vocantur, hi vt refert Plin. ab ortu ſolis ad occaſum vſque immobilibus oculis ſolem intuẽtes perſtare poſſunt: Dardæ vel Daradæ inter amplexus Indi fluuii, apud quos formicas vulpium magnitudine aurũ effodere fama eſt: Suaſtena regio: Lambatæ: Varſa regio: Patalena inter hoſtia Indi Chatriæi: Pulindę Agriophagi: Cicopletes qui vnicum oculum in frõte habere perhibentur: Siraſtrena regio quæ nunc ferè Cambaiæ attinet apud ſinũ Canticolpum: India intra Gangem.

Lari-

Narsinga.

Callecutiũ.

Larica: deinde versus austrum Arica & Virijpyra regiones vbi nostræ ætatis Geographi Narsingam latam regionem describunt multorumq; aromatum fertilem. Item Cananoiæ regnũ cum oppido regio: Callecutium regnũ & emporium famatissimũ, nam eo omnis generis merces & mercatores ab omni orbis parte confluunt, præterea multa ferunt hæ regiones quæ aliunde petere non opus est. Sequitur in eodẽ quasi tractu versus meridiem Gutschin regnum & Colum, quæ paulô latius in meridiem extenduntur, quàm Ptolemæi descriptio habeat. Sequuntur versus ortum Limyrica regio: Carei ad sinum Colchicum: Pandiones Bragmanæ magi supra montem Betigum, qui est in grad. quasi. 126. la. 20. Hinc tres fluuii Pseudostomus, Baris & Solenis in mare Indicum defluunt. Sub eodẽ monte sunt Ambastæ, Caspiria regio, Soræ, Biolingæ: Adysathri ad montem Adysathrum qui est in grad. 132. la. 22. 30. Hinc Chaberus flu. in sinum Argaricum vergit. Deinde apud montẽ Vxentum qui habet gra. 140. la. 23. 30. Mandalæ, Dryllophyllitæ, Salaceni, Mesoli Aruarni ad littus oceani. Demum iuxta Gangis exitum Sabaræ quibus Adamas in copia crescit. Item Coccognagæ & Gangaridæ hostiis Gangis circumfusi quarum regio Orphir in sacris literis dicitur. Adnumerãt alii plures nationes tum monstrorum tum aliorum diuerso viuentium ritu,

incer-

incerta tamen designatione: veluti Pygmæos, Ophiophagos qui serpentibus vescuntur, Musicanos, Astacenos, Schiopedes vno pede, tantæ (si credere fas est) magnitudinis, vt resupini æstum solis vmbra pedis vindicent, tantæ tum celeritatis vt leporem fugientem adsequi credantur. Feruntur & qui auersas plantas habent digitos octonos. Cinocephali quorum capita canina sunt. Astomi, id est, ore carentes. Plura præterea diuersaq; animantium, herbarum, arborum, cæterarumq; rerum genera scriptores hic comminiscuntur: eo quòd obrarum huius regionis aditum, libere cuiuis quiduis effingere licitum sit. Montes præcipui dicti sunt & fluuii. Sunt præterea Apocapi & Poenæ deorum in grad. longitud. 120. latitudin. 25. Item Vindius mons. 131. latitud. 27. Oriuntur hinc Namadus flu. & Nanagua qui Callecutium perluit: & Soas flu. qui se Indo admiscet. Ex monte autem Vxento oriuntur tres fluuii Tyndis, Dosaron & Adamas, circa quem Adamas lapis gignitur. Proxima est India extra Gangem quam maiorem appellant, regio nõ adeo culta atq; illa interior, aut saltẽ nobis non tam exquisita. Sunt autem secundũ Ptolemæum hæ regiones seu nationes, Ganganæ & Tacoræi proximi Sacis: Marundæ secundum Gangis transitum, Cirradia ad sinum Gangeticum, in qua galli gallinacei barbati reperiuntur & implumes & lanuginosi.

Schiopedes.

Cinocephali.

Astomi.

India maior.

Dinde

Deinde ſecundum littoris tractum Aurea regio & Argentea, in quibus multa metalla reperiuntur. Eodem deinde ordine Beſyngiti humanæ carnis voratores. Hinc Aurea Cherſo-
Malacha. neſus eſt, quæ nunc ab incolis Malacha putatur dici, vt referunt Portugallenſium nauigationes. Dicunt inſuper quòd regio ſit vrbibus in modum noſtratium ædificatis conſita: quarum quæ caput eſt Chnigapola dicitur, regia Sian. Hæc terra præter aurum & margaritas Reubarbarū gignit arbore craſſa & putrida, nec ſine putredine odoris præſtantiam habente. Quum colligere eſt animus, turba hominū noctu, præ timore leonum ac ferarum aliarum arborem conſcendit, odoremq; Reubarbari vento perferente excipit: exorto dein ſole, omnes eam viam arripiunt quam noctu ventus indicauerat, meſſiq; intendunt. quo autē vtun-
Reubarbarum. tur Reubarbaro lignum eſt arboris. Sunt præterea mediterranei Indaprathæ, Aminachæ et alii. Orientales demum Cacobæ, Chalcitis regio, Cudutæ & Sindi genus hominum ferum, cutis adeo duræ vt ſagittis traiici nequeat.

CAPVT XXVII.

De *Serica, Sinis, & regionibus Orientalibus.*

SErica regio ab occaſu Scythia, ab auſtro India terminatur: reliqua latera incognita etiam nunc exiſtunt. Incolæ ſericum ex arboribus depectunt, quod vermiculus Ser conficit,

ficit,indeq; ortum nomen est.Ptol.hos describit populos. Anthropophagos,Garinæos septentrionales: Sizyges,Damnas,Rhabbanæos, & Asmiræam regionem in medio. Sequuntur deinde Issedones ingens populus, qui parentum funera cantu aliisq; delitiis prosequuntur, corpora verò carnibus aliorũ pecorum commiscentes esitant. Sunt præterea Aspacaræ, Throani,Ottorocorę,et Batæ incerto ferè omnes loco,commercia aliorum fugientes, quas autem vendere volunt merces iuxta vias collocant,cumq; aliis commutant.Hinc Sinarum regio est, quam nunc Chynam magnam appellãt,ab ortu solis Indiæ maioris post Serum fluuium. Huius rex potentissimus tòtius ferè mundi celebratur,qui ne regium stemma alieno polluatur sanguine sororem in coniugem sumit. Nulli se conspicuum præbet. Palatium habet mirifice extructum, septuplicíq; muro communitum: inter quemq; ambitum perpetuo vice mutata, decies milleni custodes excubant. Principes immorigeros pelle exuit. Gens est candida sic satis, quæ vestibus mensaq; pro epulis ritu ferè nostro vtitur, legis Christianę expers,crucẽ tamẽ Domini (ignota causa) magnifice veneratur. Deinde secundum littora versus ortũ natiões occurrũt margaritarum feraces Chienchii: Lechii autẽ mediterranea occupant,habentes regẽ qui 20 regibus dominatur,sed regi Sinæ subiectũ. Ptol.

Sinarum regio.

Semanthinos montes eiusdemq; nominis populum describit. Item Spioras & Ambastas, fluuium Aspitharam. quicquid præterea versus ortũ vltra.180.gradus longitudinis restat, non est claris scriptoribus celebratum, ideoq; tam incertum vt fidem vix ausim adhibere. Describunt verò tales regiões seu prouincias. Chinchitalis prima est post Sericam regionẽ. Balor regio deinde quæ magna habet deserta, Iudæi clausi inter montana, Tangu, Cathay regiones potentissimæ quibus magnus ille Cam præesse dicitur, Chayram, Thebet, Cyamba, Mangi prouincia quæ omnes cum incertis limitibus nobis sint traditæ non adeo curandæ sunt. Regnum verò Murfuti, Var & Lac quæ longo protractu in meridiem describunt ab Hispanis non eo modo sunt inuenta, sed eo ferè situ insulæ Moluccæ describuntur. Hanc autem partem Indiam superiorem vel orientalem appellamus in qua diuersa hominum instituta & mores cõperiuntur voluntq; quosdã ibi agere Christianos alios syluestres alios alio modo viuentes, fides horum penes autores esto.

CAPVT XXVIII.

De *Insulis maris Indici.*

INcipiemus primũ ab eo loco in quo paulò ante insularum enarrationem omiseramus. Sunt ergo in sinu Persico iuxta Carmaniã Sagdana in gra.94.la.23.15. Vorochtha.94.20: 25.30.

25.20. Contra Persas Tabiana & Soptha, Item Alexandria vel Aracia in grad. 90. la. 29. 30. Deinde in Indico oceano Carmina. 102. la. 18. Liba. 103. 30: 19. 0. Quæ Gedrosiæ adiacēt Asthæa, Codana, Baraca, ignobiles sunt insulę.

Sequitur Scylana insula magna et diues in qua etiā multa aromata crescere fama est, habetq; montem excelsum quem montem Adæ vocant. Putant enim incolæ in hoc monte Adamum pœnitentiam egisse, sita est sub gra. lon. 118. 30. la. 6. 40. Sequitur Taprabona insula totius mundi maxima quæ nunc Samotra dicitur, diues multarum rerum & potēs, cuius rex ne regnum hæreditarium fiat liberis gignendis operam dare prohibetur. Ptol. eam antea Simondi dictam fuisse tradit, tempore verò suo Salicam populosq; communi vocabulo Salas, præterea omnes vtriusq; sexus muliebribus ornamentis tectos incedere. Circum Taprabonam cohortes sunt insularū. 1378. numero, quarū tamē omnia extāt hæ sunt: Nanigeris, Cory ad septentrionalem plagā, Vangana & Canathra ad latus occidentale. Hinc facile crediderim Samothrā eandē esse cum Taprabona de qua tamē multi plurimum dubitāt. Secūdū idē latus Egidiō, Orneos, et Ammina. Monacha sub Æquatore, Carcus, Philigus, Irena, Calādadrua polū Antarcticū supra suū hemisphęriū cōspicuū habēt. ad australe lat⁹ Taprabonę Arana, Bassa Balaca, Alaba et Cumara.

Scylana.

Samotra.

Versus orientẽ Zaba sub æquinoctiali, Zibala sub primo parallelo arctico, Nagadeba sub secundo, Susuara sub tertio ferè. Sunt præterea Maniolæ insulæ decem duobus gradibus demissiores æquinoctiali, quarum incolæ anthropophagi feruntur, ibiq; lapis Herculeus naues quæ ferreis clauiculis compactæ sunt detinere perhibetur. Ex aduerso aureæ Chersonesi Barussę, Sindę, et Sabadicę insulę sitæ sunt etiam anthropophagis occupatę. Demum Satyrorum insulæ quarum incolæ caudas habere perhibentur quales Satyris tribuere consueuimus.

Maniolæ.

CAPVT XXIX.

De *Insulis nuper inuentis.*

HActenus parũ aut nihil à Ptolemæi veterumq; autorum vestigiis digressi sumus, sed nunc cum eo loco quo Ptol. Cattigaram longe vltra Æquatorem prominentẽ descripsit, & deinde alii adnectentes regnũ Var Moabar & alia incerta ferè ratiõe, nulla post frequentes vltra citraq; Æquatorem nauigationes terra continens inuenta fuerit, sed insularum infinitus penè numerus: de earum situ omissis veterũ erroribus pauca subnectemus, quæquidem ex Maximiliani Transyluani viri laudatæ tum honestatis ac probitatis, tum etiam non mediocris eruditionis, epistola: deinde etiam ex pluribus Hispanorum nauigationibus in epilogum quasi collegimus. Prima igitur

igitur occurrit Iaua maior cuius rex affinium insularum regibus dominatur, & ipsa in quatuor regna diuisa, sub gra.165.la.8.aust.magna pars incolarum anthropophagi sunt. Iaua minor insula eiusdem longitudinis, la.3.aust. Porne insula sub lon.167.la.5. Hæc eadem Burne vel Burnea dicitur, tantę est magnitudinis vt trimestri spatio vix obiri possit, Incolæ gentiles sunt, iustitiæ tamen pacisq; atque amicitię strictissimi cultores, Ædes eorum exiles ex ligno terraq; constructæ, Vxores ducunt quot alere possunt, Panem ex oriza conficiunt, Potum liquor qui de concisis palmarum ramis exprimitur præstat, Argento viuo epoto morbum depellunt, sanitatemq; tuentur, Margaritarum ferax est insul. nam aliquando ad oui gallinę quantitatem reperiri ferunt. Non longe hinc duę insulę sub lon.180.ferè gra.la.8. Bibalon & Cimbaubon vbi crocodilos esse dicunt, & arborē cuius folia defluxa vita assumpta mouentur animantiū modo. Puloana ficuum fertilis lon.179.la.10.30. Panilonga vel Panilongon Æthiopibus habitata lon.181. la. 14. 20. Hoc tractu plures deinde sunt insulæ sparsim in mari sitæ, quarum longitudines & latitudines incertę etiam nunc existunt, quarum sunt Baxbay, Cathigan, Bohol, Culon, Canghu. Subuth insul. sub lon. 189:10.11. minutorum. Huius multi proxima nauigatione fuerunt baptizati, alliciti miraculo quo quidam

Iaua maior

Iaua minor

Pauloana.

Panilonga

Subuth.

æger prorsus extenuatus & ab omni spe destitutus Christi nomine fuit sanitati restitutus. Truncus arboris palmis ferè similis eis pro pane est, Potus ex palmarum ramis cõscissis exprimitur. Hinc ad austrum sub la. 9. gra. Massana insula cuius incolæ aurum quod in copia habent pili faciunt, nam pro rebus vilibus & quisquiliis multum sæpe auri commutarunt. Gens est agilis multum, nuda natura tantum obtecta, fœminæ infra vmbilicum obuelantur capillis ad talum vsq; , eædem in cadauerum iustis faciendis miserabiles luctus exercent, incumbentes cadaueri os ori manumq; manui applicando. Mauthan aut Mattan sub lati. 10. gra. non longe à Subuth. Huius incolæ bello multum valent nam fecit huius periculum Magellanus præfectus classis qui ibi cum multis sociis cecidit. Hinc versus ortum & arctos plures sunt insulæ Zuluan, Buthuan, Calagan, & Inuacana diuites auri, omniq; genere aromatum quod nostra suspicit regio sunt impletæ, medium omnium est sub lon. 195. la. 10. Gelolo vel Syloli insula sub lon. 190. lati. 2. eius incolæ id quod primum mane egredientibus sese obtulerit pro numine habent. Nascuntur hic arundines pedali amplitudine aquam potioni peraccommodam ferentes, hicq; fœminas vento cõcipere fabulantur. Ab hac versus occasum vltra citraq; Æquatorem exigua inter se distantia, sub lon. 186. gra. nobiles illæ insulæ

Massana.

Mattan.

Inuacana

Gelolo.

Moluccæ deſcribuntur, quarum beneficio totus penè orbis aromatibus impletur. Quinq; numerãtur Thedore vel Tadore, Tarante vel Taranatæ, Muthil, Mare, & Machian. Tadore ſeptentrionalis eſt ad dimidium quaſi gradus, huic præeſt epiſcopus quadragenis ex conſuetudine fruens vxoribus. Tarante verſus antarcticum. 40. minutis ab Æquatore diſcedit, Machian quindecim minutis, Muthil ſub Æquatore conſiſtit. Incolæ Caphræ ſunt, hoc eſt, gentiles, admodum egentes, quandoquidem præter aromata nihil ferè apud eos proueniat, latent tuguriolis multum demiſſis, deniq; vt ait Maximilianus Tranſ. omnia apud eos ſordida & humilia ſunt præter pacem, ociũ, & aromata. Arbor gariofili quę in his inſulis creſcit procera aſſurgit, craſſitudine medii hominis, ſenſim gracileſcens, ex medio autem ramuſculi latiuſcule effunduntur, folia ſpecie laurinorum. Gariofila autem quæ clauos ob ſimilitudinem vocamus extremis ramis coniuncta enaſcuntur. Creſcit præcipue in tribus inſulis Tarante, Tadore, & Machian. Muthil cinamomum mittit, corticem ſcilicet arboris cuiuſdam ſurculoſę ad ſolem arefactum & detoſtum. Poſt has in auſtrum plures ſunt inſulæ quarum maxima Badam dicitur, hic myriſtica nux naſcitur gemino cooperta operimẽto, exterius ligneum eſt, alterum quod nucem complectitur tenuis membrana nos florẽ muſcatæ

Moluccæ inſulæ.

Tadore.

Incolarum mores.

Arbor Gariophili.

Cinamomum

Badam Myriſtica nux.

muſcatæ dicimus, ab Hiſpanis macis vocatur. Circa hanc duodecim ſunt inſulæ paruæ ſub
Gingiber lon. 180. latitu. 6. auſtra. In his gingiber paſſim prouenit, aliud ſponte aliud ſeminatum. Radix eſt cuiuſdam herbæ adſimilis ei quæ cro-
Ambuon cum producit. Ambuon inſu ſub lon. 187. 30. la. 6. auſt. huius incolæ anthropophagi ſunt.
Buru. Buru ab illa verſus occaſum ſub lon. 183. la. 6. auſt. Tenetum in lon. eadem, la. 3. gra. auſt. Sequuntur Laboan, Bachian, & Caphi pluresq; paruæ inſulæ quas ob incertum ſitum omittimus: in vna harum Pygmæos degere fama eſt.
Sullach. Sullach anthropophagorum inſula ſub lati. 3. graduum auſtralium. Malua ſub lon. 177. gra. latit. 8. 30. auſt. Non longa hinc intercapedine (vt ferebant accolæ) homines degunt cubitales aures tam vaſtas habẽtes, vt alteri pro ſtra-
Timor. to incumbentes altera ſeſe cooperiant. Timor inſula ſatis magna ſub lon. 178. gra. la. 13. auſt. Huius fœminæ inaurium ornamentis armilliſque vtuntur. Sandalum vbertim hic prouenit, quod ſolenni & rata lunæ curſus obſeruatione colligitur. Iacent in oceano verſus Ameri-
Inſulæ latronum. cam inſulæ duę latronum ſub æquinoctiali. Nomen dederunt mores incolarum, qui furto & latrociniis plurimum dediti ſunt. Gens inops & ſolers. Mulieres formoſæ admodũ, longis nigriſq; capillis, nudæ præter naturã, quã tenui membrana velut folio papiraceo obtegunt, Ædes ligneæ, conclauia lectoſq; habent

bent quibus paleam palmeam molliusculam sanè substernunt. Nauiculas ex trunco excauato cum velis extructas, tãta arte regere norunt, vt volare videantur puppim proræ proramq; puppi commutantes, singulæ singulos capiebant rectores. Demum sunt duæ insulæ infortunatæ sub long. 240. la. 23. 30. aust. Dictæ sunt infortunatæ, quia cùm Portugallensium classis ad eas applicuisset, iamq; ferè oẽs inedia confecti essent nihil rerum necessariarum ibi inuenerunt sed desertas viderunt. Si præterea restent insulæ (vt restant) quarum mẽtionem nõ fecimus, illæ aut exiguæ sunt aut propterea quòd nihil de earum situ certi constet omissæ. Nec moueat animos Lectorum si fortasse longitudines & latitudines harum insularum nonnihil ab aliorum traditione discrepẽt. Supputauimus enim longitudines ab occasu in ortum, alii contrario ordine procedunt. Latitudinem secundum medium insularum sumpsimus, quam nonnulli ad locum tantum applicationis referunt.

Infortunatæ.

CAPVT XXX.

De *America*.

AMerica ab inuentore Americo Vespucio nomen habet, alii Bresiliam vocãt, quæ an continẽs an insula sit necdum satis cõstat. Incolæ qui propius Æquatorem consistũt Canibales vocantur atrociſſimum genus Anthropophagorũ. Vicinas enim nationes dira

Canibales.

infestant persecutione, & quoscunque capiũt in suam regionem adducunt. Masculos autem statim occidunt, & comedunt carnes tostas aut aliter coctas, aut exectis testibus mactandos alunt, fœminas seruitiis addicunt, nudi penitus incedunt. Qui deinde sequuntur vltra Tropicum Capricorni, mitiores sunt, numinis vice nihil colunt, lege tantum & instinctu naturæ viuunt, viri fœminæq; nudi agunt, nisi ex plumis psitacorum quasi pallium longo post tergus relicto cyrmate conficerent. Tori mari talis illibatam fidem seruant. Labia, aures, genitaliaq; perfossa lapidibus preciosis ornant foras eminentibus. Omni genere fere metalli carent, ideoq; tela osse muniunt, lignaq; pro scaphis lapidea securi excauant. Sagittatores peritissimi, natatores expertissimi, & cursu ad modum voloces existunt. Regio Bresilia aut terra Papagalli vocatur. Propius ad polũ antarcticum circa lat. 48. gra. alia gens est cursu tam celeri vt equum cursu vincere posse videatur. Gygantes nõ iniuria dixerim cum Lusitanorum vix aliquis eos æquarit qua medii cinguntur. Vagi sunt, in tuguriolis latitantes eosq; secum transportantes. Pauperes sunt nihilq; eorum terra precioſi producit. Integuntur pellibus ferinis belle consutis, arcus ingentes telaq; secum deferunt, capillos in modum monachorum detonsos habent, obstructos funiculo lanugineo, ad quem venaturi tela connectunt

Bresilia.

nectunt,cum animam agunt morituri magnus numerus ſpirituum malignorũ ſeſe illis oſtendit,ea figura qua apud nos pinguntur.Pars iã dicta Portugallenſium nauigationibus luſtrata eſt,qui vltra hãc tranſierunt ad inſulas Moluccas. Altera verò pars quæ ab Æquatore verſus ſeptẽtrionem protenditur ea quotidie per Caſtellanos & luſtratur & inhabitatur. Sunt autem tales regiones,Parias regio,Cutana,Dariena,cuius vna pars tam arcta eſt, exedentibus vtrinq; oceani fluctibus,vt quatuor tantum miliaria contineat,hinc oceanus occidentalis eſt,illinc Eous. Gentes harũ licet religionis Chriſtianæ ignaræ ſint, legibus tamẽ & viuendi inſtitutis vtuntur,ſacra faciunt ſuo ritu,alii penitus nulla,vt ſunt qui Pariam regionem incolunt,in lectis penſilibus dormiunt, domus ſimiles noſtris tintinabulis aut cãpanis extruunt,aurũ gẽmasq; in copia habent.Quæ deinde ſequũtur regiones terra Florida & Bacalearũ regio,non adeo ſunt luſtratæ niſi ſecũdum littus.Sunt hic regiones feraciſſimæ auri oĩmq; animantiũ,cãpi amœniſſimi,mõtes excelſi,& fluuii placidiſſimi, ciuitates & turres & dom⁹ adfabre cõſtructæ,adeò vt noſtra Europa nõ multo inferior habeatur hæc pars.Populi ſunt affabiles & cõtractus nõ fugiẽtes,plures eorũ ichthiophagi ſũt,alii ophiophagi. Inter oĩa tamẽ oppida nullũ præſtãtius in his regionibus aut maius eo qđ Temiſtelã appellãt,

Parias

Dariena

Florida

ſecun-

secundum nostram descriptionẽ ferè sub Tropico Capricorni situm, lociq; natura munitũ. Est enim situm in lacu maximo, pontibus innumeris vndequaq; egredientibus, Ædificiis cum Dedali structuris conferendis ornatum. Incolæ scribere norunt & legere. Hanc partẽ terræ multi Asiæ adnectunt dicuntq; continẽtem esse, sed horum ratio nulla est, igitur neq; temere assentiendum puto, Ego quum ex nauigationibus Hispanorum & aliorum possem multa adducere quibus huius descriptionis incommoditatem ostenderem, adducam tantũ vnum argumẽtum, ne videar omnino frustra huic opiniõi reclamare: Marcus Venetus qui omnes regiones Indiæ oriẽtalis lustrauit, ibiq; ad annos plures habitauit, scribit lib. 3. se per regionem Mangi ad oceanum vsq; peruenisse, ibique nauem conscendisse, & per Garbinum (qui est inter meridiem & Zephyrum) ad Cyambam nauigasse miliaribus Italicis. 1500. A Cyamba delatus est deinde miliaribus totidem ad Iauam maiorem insulam versus austrum ferè. Quonam pacto posset quispiã ex terræ nouæ latere orientali, cùm per eam transitus non sit, versus meridiem ad Iauam maiorem nauigio proficisci? cùm hæc insula nunc obseruata sit apud Indiam. At ego rem incertam experientiæ & Lectorum iudicio committo.

CAP.

CAPVT XXXI.

De insulis apud Americam.

HIspaniola insula sub lon.306.la.22.grad. admodum culta,vrbibusq; consita est, nam eius magnam partem nunc Hispani incolunt,qui auri fodinas possident,in eisq; operarios suo regi alunt,nascitur enim aurum & in montibus & in fluuiis:iidem agros colunt, semina iactant & ciuitates more suo ædificant. Insulani nudi fere incedunt, panem ex radice quadam conficiunt,aurum auribus naribusq; suspendunt. Mittit etiam hæc insula lignum, Guiacum,quo nostri tanquam remedio præsentissimo aduersus morbum gallicum vtuntur. Isabella Cuba vel Ferdinandina sub lon. 193.gra.la.23. & semis lõge in ortũ occasumq; diffusa,moribus superiori haud dissimilis, ferro caret,sed eius vsum lapis pellucidus supplet. Iucatana sub lon.281.gra.la.20. Incolæ benigni sunt & commercia nõ fugientes, vestes ex gonsapio diuersimode tincto conficiunt, Fœminæ ab vmbilico deorsum integuntur,tãta verecundia vt vitio detur si pede aut crure discooperto processerint. Huic proxima est versus ortum Cozumella insula eiusdem ritus ac instituti cum præcedenti insula. Ab eadem Iucatana.100. quasi miliaribus Hispanicis in occasum tres sunt insulæ Sacrificiorũ. Nomen indidit ritus nephandus insulanorum, quippe qui marmoreis suis deis proles suas immolãt, primum

Isabella.

Iucatana.

Cozumella

Sacrificiorum.

primum pectore aperto cor eruunt, eiusq; sanguinẽ labiis deorum suorum illinũt, exta igni iniecta comburunt: alioqui gens satis familiaris & benigna, habent lon. 268. lat. 23. grad. Iamaica inſ. ſub lon. 295. la. 15. 30. Inſulani adiacẽtibus ſimiles ſunt in moribus & vitæ inſtitutis. Eſt item infinitus ferè numerus inſularum in lon. 315. la. 12. ex quibus ſunt Dominica, Guadalupa, Sanctæ crucis, quarum incolæ Canibales ſunt, de quorum moribus ſupra mentionem fecimus. In lon. rurſus. 340. grad. la. 38. Gracioſa Ternera, S. Michaëlis, Fatalis & S. Mariæ. Inſula viridis quæ aliis Braſil dicitur in lon. 354. latit. 51. Deniq; vt ſemel finiam, tantus eſt in hoc oceano numerus inſularum, vt ſi omnium deſcriptiones & mores proſequi animus eſſet, libellus in magnum volumen excreſceret. Verum ſi quiſpiam eſt qui latiorem harum rerũ enarrationem cupiat, alios conſulat: nobis ſatis viſum fuit præcipuas tãtum mundi partes breuibus verbis (vt principiis artiũ opus eſt) indicare. Neq; enim omnem Coſmographiæ, totiusq; orbis deſcriptionem ad vnguem deliniare præſentis fuit inſtituti, ſed tantũ maiores orbis partes confuſo ordine veluti pictores q primum imaginem lineis exterioribus & principalioribus exprimunt, quales ſunt capitis, colli, brachiorum, ventris & crurium, poſtea exactiora & minutiora ceu oculos, os, labra, ſingulosq; articulos producturi.

Iamaica

TABELLA CIVITA-
TVM ALIQVOT PRINCIPA-
lium.

¶ Hiſpaniæ ciuitates.

Compoſtella lon. 6 0.44.20
Portogalla 5.48:41.35
Liſibona vel Vlyxbona vel Olioſippo 5.10:39.38
Corduba 8.0.37.50
Ipſalis 6.36.37.0
Toletum 10:39.56
Salmantica 8.32.40.15
Cæſar auguſta 16.lat.41
Barſalonia 10.0.41.35.

¶ Galliæ ciuitates.

Burdigala 18.30.la.46.0
Rodes 24.0.45.15
Nantes 19.5.48.12
Aurelia 22.35.47.13
Turonia 20.55.47.30
Rothomagus 21.15.49.0
Bizantium 28.20.47.36
Lugdunum 24:45.10
Vienna 24.15.44.48
Pariſius 23.20.47.55
Geneuoſa 28.16.45.52
Maſſilia 25.15.43.6
Monſpeſſulanus 24.56.43.5
Toloſa 21.15.43.30
Gandauum 76.8.51.24
Brugis 25.6.51.30
Callas 23.0.51.44
Valencines 26.29.50.10
Mittelburgum 25.26.51.50
Antuerpia nobiliſſimum totius Germaniæ emporium 26.36:51.28
Louanium 27.8.50.58
Machlinia 26.50.51.12
Bruxella 26.42.51.0
Traiectum 27.22.52.30
Amſterdama 27.34.52.40
Groninga 29.24.53.16
Suollis 28.38.52.47
Geldere 29.2.51.42
Cleuia 29.35.51.58
Iuliacum 29.15.51.5
Aquiſgranum 28.52.51.5
Leodium 28:50.51
Dauentria 28.44.52.30
Colonia 29:51.0
Moguntia 30.32:50.8
Argentina 30.4.48.45
Baſilea 29 50.47.40
Conſtantia 30.30:47.30
Treueris 28.0.49.55
Anglia 20.30.55.40
Scotia 27.lat.59
Dania 36.lat.57
Lubecum 36:54.48
Dantiſcum 46.lat.55
Mons regius 48.36:54.17
Brunſuiga 32.30.52.34
Luneburgum 35:54.0
Erfordia 34.lat.51.10
Ingelſtadium 33.lat.49
Lips 34.30.lat.51
Nurenberga 33:49.24
Ratisbona 33.30.49.10
Vlma 32.lat.47.22
Auguſta 33.lat.48.15
Praga 37.30.lat.50.4
Vratiſlauia 42 lat.51
Cracouia 46.lat.51
Caſchouia 46.lat.50
Buda 44.30.lat.46
Segina 39.lat.44.45
Vienna Pannoniæ 37.45 latitud.48

Pata

Patauia 34.30.lat.48
Saltzeburgum 35.lat.48.
Iudeburgum 35.la.47
Villachum 35.15.46 23
Brixia 34.lat.46.6
Mantua 32.lat.44.28
Cremona 31:44.42
Venetiæ 34.30.44.50
Ancona 35.40.43.42
Roma 36.20.41.30
Brunduſium 42.30.39.40
Neapolis 40.10.lat.41
Florentia 34.30.43.4
Mediolanum 32.la.44.30
Taurinum 31.30.lat 43
Genua 30.30.43.50
Bononia 33.5.43.54
Chilia 54.30.45.45
Andrianopolis 52.30. 42.45
Stridona 43 30.44.30
Dirachium 45.0.40.55
Conſtantinopolis 55.30:43
Philippis 50.30.41 40
Theſſalonica 49.50.40.20
Ambratia 48.0.28.20
Anticyra 50.30.37.30
Corinthus 51.15.36.55

¶ Aphricæ ciuitates.

Tingis 6.30.35.30
Feſſa 5.30.lat.34.40
Ciſſa 19.45.32.50
Hippon 30.30.32.15
Cartago 34.40.32.40
Melita 38.45.34
Cyrenæ 50.0.31.15
Alexandria 60.30.31.0
Bubalis nũc Chayrũ.63.30.15
Moſylium 79.30.9.0

¶ Aſiæ ciuitates.

Nicomedia 57.30.42.30
Cæſarea 56 40.41.40
Ilium 55.50.41.0
Epheſus 57.40. 37.40
Patera 60.30.36.5
Nogardia 66.lat.62
Antiochia 70.15.37.20
Damaſcus 69.0.33.0
Cæſarea Stratonis 66.15.
32.30
Hieroſolyma 66.0.31.40
Edeſſa 72.30.37.30
Babylon 79.0.35.0
Niniue 78.0.36.40
Mecha 71.45.22.0

FINIS.

VSVS Annuli Astro-NOMICI GEMMA

FRISIO MATHEMATICO

Autore.

K.K. UNIVERSITÄTS-STERNWARTE WIEN



ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioannis Steelsii.
M. D. XLVIII.

CONTENTA LIBELLI.

Declaratio partium. Cap.I.
De Vſu annuli & ſigni inuentione quod ſol quouis die occupet. Cap.II.
Eleuatio poli quomodo inueniatur.Cap.III.
Horæ inuentio interdiu.Cap.IIII.
An ſit ante meridiem an poſt.Cap.V.
Horæ nocturnæ inueſtigatio. Cap. VI.
Qua ratione horæ nocturnæ facilius inueniantur. Cap.VII.
De ortu ſolis & quantitate diei. Cap.VIII.
De horis inæqualibus ſiue planetarum. Cap.IX.
Quota ſit hora ab ortu ſolis vel occaſu.Cap.X.
Plagas mundi quomodo inuenias.Cap.XI.
De altitudine ſolis & ſtellarum. Cap.XII.
Altitudinum dimenſio per vmbras. Cap.XIII.
De altitudine per ſolum viſum.Cap.XIIII.
De altitudinibus rerum inacceſſibilium. Cap.XV
Facilius idem.Caput XVI.
De longitudine rerum in ædito ſitarũ.Cap.XVII.
Aliter idem & facillimê.Cap.XVIII.
Diſtantiæ dimenſio.Cap.XIX.
De profunditatis menſuratione.Cap.XX.

MODIS OMNIBVS

ORNATISSIMO, AC VERE NOBILI Domino Ioanni Khreutter, Sereniſs. Reginæ Hungariæ Secretario Gemma Friſius S. D.

INter multa variaq; animãtium genera, quæ diuerſiſſimis ac admiratione dignis effinxit natura dotibus, vix inuenias vir ornatiſſime aliqd quod minus ſuo fungatur officio atque humanum genus. Quod cùm à Deo Optimo Maximo creatũ ſit perfectiſſimum, ratione illa diuina animi parte præditum, qua & ea quæ rectè fiunt eligeret, ſectaretur q;, & ea quæ pręter officium ſunt, fugeret detestaretur q;, nihil minus agit, imò quaſi quadam animi proteruitate in contrarium abripitur ac ſeducitur, vbi videmus ediuerſo cætera omnia animãtia ſuum quodq; peragere ſedulo officium quod ipſi à natura inditũ eſt. Ciconias grata viciſſitudine Ver aduentu ſuo nũtiare, receſſu Autumnum, atque interim leges certas & quaſi viuendi modum (ſi Plinio credimus) obſeruare. Philomela ſtatis temporibus dulciſſimis demulcet noctis horrorẽ cantibus. Gallus tempora certis diſtinguit interuallis. Denique non ſolum viuentia hæc, verum etiam cuncta quibus tamen anima denegata eſt, certa quadam lege ducuntur. Tellus ſuos fructus cum fœnore reddit, Oceanus, luna duce, certis ſtatisq; temporibus tellurem ambit, atque adeò omnia legem ſibi ab æterno præſcriptam obſeruant, vt hic nihil iam deſideretur niſi ſolus homo. Cui & ſi os ſublime dederit cœlumq; tueri iuſſerit ſummus ille rerum autor, ſolus tamen ille ſtudio vilium rerum atque abiectarum detentus deſidet atque ceſſat. Verum de horum numero cùm non omnes cenſendi veniant homines, tum verò minime tuum nomen eis adnumerandum erit. Qui inter ardua perpetuáque

Principum negotia (quod nigro Cygno rarius est) omnis tamen generis artes disciplinasq; quibus animus hominis potior pars & eruditur & exornatur, tanto studio sectaris & tueris, vt te illis penitus addixisse videri possis. Quæ sanè res me adeò in tui amorem venerationemq; pertraxit, (quē enim non moueret) vt iam audeam etiam tanquam pulchrum quiddam facturus cum exiguo munusculo in tuum prodire conspectum. Quod quidem mihi neq; temeritati neque audaciæ adscribi ab aliquo vellem, tibi verò id gratum fore non dubito, cui quicquid ab animo recte ac syncere proficiscitur displicere non potest. Quod autem ad hunc nostrum annulū attinet, vt ingenue fatear (ingenui enim est inquit Plinius fateri à quo profeceris,) meum non est omnino inuentum illud, attamen si inuentis addere, eaq; dilatare laudi ducēdum sit, in his nomen profiteor meum. Annulum enim hactenus horas tā tum diei & mundi quatuor regiones exhibentem, ita auximus, vt iam cum quouis instrumēto certet mathematico. Quicquid enim longis verborum cō nexibus de Quadrantibus, Chilindris, Astrolabiis ab aliis passim traditur, id ferè in hunc vnicū annulum congestum est. Quem vt vidi Principe dignū esse ornamentum, neq; solum ornamentum, verum etiam vtilitatem non iniucundam præ se ferre, non potui committere quin tibi cui omnia suo tempore agenti hæc res vsui futura videbatur, hunc nostrum quantulumcunque dedicarem laborē, tu verò pro tua in nos humanitate boni nostram consulere tenuitatem, magnitudinemq; munusculi non ex ipso, sed ex animi nostri affectu metiri velis. Vale. Ex Louanio Calendis Februariis. 1534.

Vſus annuli ASTRONOMICI,

PER GEMMAM
Friſium.

CAPVT PRIMVM.

Declaratio partium.



ORBES QVATVOR OMNEM hunc noſtrũ vſum præſtant. Quorum extimus, qui ſcilicet alios intra hunc vertentes amplectitur, Meridiani vices præbet. Vocamus autem meridianum circulum, qui tranſiens per mundi verticem vtrumq;, noſtris imminet capitibus, eò quòd quum ad illum ex ortu aſcendens Sol peruenerit, mediæ diei indiciũ eſt. In hoc affixi ſunt duo interiores orbiculi ſimul, in modum vnius annuli cõiuncti, atq; puncta ea duo ſuper quibus hi mouentur, poli ſiue vertices à Mathematicis vocantur, alterum quidem ſcilicet quod circa fili alligationẽ eſt Arcticus, alterum Antarcticus. Item hic orbis extimus diuiſus eſt in. 4. partes. Vna harum. 4. partium deinceps in. 90. partes, Niſi fortaſſis

vbi anguſtia nos impediuerit, ibi enim. 45. tantum adſignauimus. Sunt autem hi gradus latitudinum ſiue eleuationum poli regionum. Secundus orbiculus, qui cum primo vnum cõſtituit complicato annulo æquatorem refert circulum, qui eſt circulus medii orbis æqualiter diſtãs ab vtroq; polorum mundi. Hic diuiſus eſt in. 24. horas æquales incipientes à meridie & media nocte. Quæ verò interiori eius lateri inſcribuntur, menſes ſunt anni in hebdomadas diuiſi. Tertius orbis cũ quarto ita coniunctus eſt, vt ſimul vnum orbem efficiat, hic etiã in nonnullis ſimplex eſt. In interiori ergo eius ſuperficie primùm inſcripti ſunt. 12. anni menſes, per quos defertur pinnula, cùm exteriorẽ horum duorum ſtilo protudimus. E regione menſiũ. 12. inſcribuntur ſigna Zodiaci, per quæ defertur foramen ſimul cum pinnula per menſes. Eſt item vna quarta huius pars diſſecta in 90. gradus, adſcriptis numeris denis tantũ gradibus. Ex aduerſo ſunt. 24. partes inæquales, dimenſionibus altitudinum & diſtantiarum accommodandæ. Demum in latere duæ affixæ ſunt pinnulæ ex diametro oppoſitæ, noctur nis horis & dimenſionibus aptæ. Aliqui verò pinnulas habent mobiles.

CAPVT SECVNDVM.

De uſu annuli, primumq; loci Solis inuentione.

Quum

QVum ergo anni horarumq; dimensio omnis à Sole pẽdeat, tum enim annus est, cum suo cursu Sol orbem signorũ percurrit: dies verò, cum ab ortu in eundem ortum remeauerit, necessaria omnino cognitio motus Solis censetur. Si igitur quouis die anni locum Solis in Zodiaco deprehendere libeat, protunde stilo quouis annulum tertiũ, qui intra margines quarti mouetur, donec pinnula quæ intra rimam susq; deq; deuoluitur, ad mensem & diem mensis propositum quàm potest exactissimè collocetur, tum enim simul & foramen, quod ex aduerso est in signo, cõstituetur in quo Sol mouetur. Verum quum circa eadem puncta bina inscripserimus signa, binosq; mẽses, haud facilè fuerit imperitis obseruare, vtrum signum vtri debeat attribui mẽsi. Quare notandum est, signa esse duplicia, Septentrionalia & australia, æstiua & hyberna. Septentrionalia sunt: ♈ Aries, ♉ Taurus, ♊ Gemini, ♋ Cancer, ♌ Leo, ♍ Virgo. Atque singulis horum suus adscribitur mensis, hoc ordine, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, Augustus. Reliqua sunt australia signa: ♎ Libra, ♏ Scorpio, ♐ Sagittarius, ♑ Capricornus, ♒ Aquarius, ♓ Pisces. quorum menses: September, October, Nouember, December, Ianuarius, Februarius. Eodem modo quo mense, quóve die Sol quoduis signum ingrediatur, per quirendum erit. Si enim fora-

men perduxeris vsque ad signū, de quo quæstio est, pinnula oppositā ad mensem diemq; eiusdem (quantum concedit spacii angustia) quo Sol tale signum ingreditur, collocabitur. Obseruatis rursus mēsibus (vt dictum est) suo ordine. Quibus vero pinnulæ sunt mobiles, his dies mensis promouendus ad notā in margine positam: tum altera pinnularum signum indicabit & gradum. Aut contra pinnula promota ad signum: nota, diem mensis indicabit quo sol tale signum ingrediatur dato cuilibet mensium suo signo.

CAPVT TERTIVM.

Eleuationem poli quomodo inuenias.

ANnulus hic quidem noster toti non solum Europæ, sed vniuerso orbi inseruit, obseruata tamen vniuscuiusque regionis à medio orbe latitudine, siue eleuatione poli. Sed quum hic non omnium regionum aut locorum latitudinem adscripserimus, id enim ingentis esset voluminis, vtile visum fuit artem adscribere, qua quiuis eius loci in quo agit, latitudinem ipse experiatur, quæ sic habet: Permoue pinnulam interioris annuli ad mensem eiusq; diem quàm potes exactissimè: Deinde obserua solem in meridie existentem, & suspē so annulo ad manum, pone annulum interiorem, ita vt eius linea quæ exteriorem eiusdem superficiem mediam secat, circa duodecimā

horam

horam annuli ſecundi collocetur: foramen verò verſus eam partem exterioris ſit orbis, in qua filum alligatur. Demum obiecto foramine interioris annuli, Soli, ſi radii per eiuſdem foramen immiſſi pinnulam oppoſitam quàm exactiſſimè aſpiciant, tum demū filum ipſum quo annulum ſuſpendis, latitudinē regionis ſiue poli exaltationem certa indicabit ratione. Atq; ibi perpetuò quū aut horæ diei, aut mundi plagæ inueſtigandæ erunt, filum alligari debet, donec in aliud veneris Clima, aut in aliam regionem magis auſtralem aut arctoam te cōtuleris. Ibi enim rurſus aut ex tabella hic appoſita, aut ex arte præſcripta latitudo regiōis inquirenda erit. Quanuis autem de meridie tantummodo mentionē fecerimus, licet tamē & idem experiri aliis horis, ſiue antemeridianis, ſiue pomeridianis. Collocato enim interiori annulo ad horam diei propoſitam, ac dimiſſis radiis Solis per foramen in oppoſitam pinnulam eadem via qua prius, per filum in certam regionis latitud. deuenitur. Quòd ſi prima vice (vt fit) non omnino radii ſolis obiectam intueantur pinnulam, ligandum erit filum ſurſum deorſumve in annulo exteriori, ſæpiusq; tentandum donec ſuccedat.

Quibus verò interior annulus ſimplex eſt, hi poſito ipſo ad horam, eouſq; filum ſurſum deorſumve mouendum, quò radius per foramen ingreſſus ad locū ſolis recte finiatur op-

positum. Et qui pinnulas habent mobiles, hi in æstate pinnulam superiorem quàm sit æquator, semper Soli obuertant: hyeme verò inferiorem. Atq; hæc semel monuimus ob diuersas annulorum formulas, ac deinceps semper obseruatum volumus.

CAPVT QVARTVM.

Horæ inuentio interdiu.

PRimò igitur pinnula interioris annuli (vt etiam in præcedēti via docuimus) quàm potest diligentissimè ad mensem diemq; anni propositum stilo permoueatur. Secūdò filum ad latitudinem regionis in annulo exteriori alligetur, quam quidem aut ex tabella nostra, aut ex arte iamiam demonstrata deprehendisti. Tertiò interioris annuli pars ea in qua foramen est, ad horas antemeridianas aut pomeridianas pro temporis ratione constituatur. Demum suspenso ex manu annulo, obiectoq; foramine Soli, eousque interiorem orbem aut sursum aut deorsum paulatim circumducito, donec omnino radii Solis per foramen pinnulam obiectam illustrent: hoc enim facto, linea diuidens latitudinem mediam orbis interioris, horam atque adeò partes eius indicabit in orbe quem æquatorem vocamus. Quibus verò annuli diuersi sunt, hi consulant caput præcedens.

CAPVT QVINTVM.

An sit ante meridiem, an post.

ACcidit autem interdum (quanuis id hominis videatur & negligētis, & nullam vitæ rationem habentis) dubitatio, an hora inuenta præcedat meridiem an sequatur. Quod non statim ex annulo deprehendi poterit, eo quòd Solis eadem sit altitudo binis in horis æqualiter à meridie distātibus, vt hora prima & vndecima, secunda & decima &c. Huius igitur dubii discussio ita facile habebitur. Inuenta hora per præcedentem, aut in horis antemeridianis aut pomeridianis, immotus ita cōseruetur annulus ad tempus. Paulò post rursus suspenso annulo ex manu, si tum radii Solis qui prius pinnulam adamussim respiciebāt, eandem superent, tempus obseruatum pomeridianum iudica: Sin ab eadem deorsum tendant, hora est antemeridiana. Quanuis idem illud absque annuli adiumento facile ex vmbra cuiusuis rei erectæ percipiatur. Quū enim illa minuitur, indicio est Solem ascēdere nondumq; mediam elapsam esse diem. Quum verò augetur, Solem à fastigio declinare arguit, & tempus esse pomeridianum.

CAPVT VI.

Horæ Nocturnæ inuestigatio.

VErum priusquā id expediamus, habenda est cognitio stellæ cuiusdā erraticæ, quæ Solis absentis vices subeat, hāc ab Astrologo

logo quopiam ediſcat neceſſe eſt, qui alioqui ignarus eſt. Nam ex deſcriptione nuda difficilis cognitio fuerit. Attamen ne noſtro defuiſſe videamur officio, talem eius deſcriptionem accipe: Stella eſt primæ (vt vocant) magnitudinis, hoc eſt, maximæ quantitatis inter fixas ſtellas, diſtans ab æquatore quaſi partibus. 45. Hircum authores vocant, lucida, rubicunda, nunquam ſe ſubmergens ſub noſtrum Finitorem, quum Sol fuerit in. 11. gradu Sagittarii, quod fit ſeptimo Calendarum Decembris, ipſa noctis hora. 12. circa verticem capitis videbitur, quare ſi tum à ſtella polari, quam quiuis etiam ruſticus cognouit, recta viſu proceſſeris verſus meridiem, ipſa primum viſui occurrit. Item ſi cū Luna in Geminis conſtiterit, à Luna verſus eandem ſtellam polarem viſu progreſſus fueris, prima rurſus occurret Hirci ſtella, quam vbi ſemel videris per aliarum ſtellarum ſitum, neceſſe eſt memoriæ commendes. Cognita igitur ſtella, ſuſpende ex manu annulum, & interiorem orbem circumduc, vt ſuperior pinnularum quas in margine apoſuimus, vel ſi mobiles fuerint, moue eas ad 45. gradus ab æquatore, ac circumage annulum interiorem vt eam partem æquatoris occupet quam ſtella ipſa occupat in cœlo, ſcilicet orientalem, vel occidentalem, quod quidē noctu facilè fuerit cognitu: nam ſtella polaris ſiue nautica ſeptentrionem ſemper indicat.

Demum

Demum eousque deprime vel extolle orbem interiorem, donec pendẽte annulo ambæ pinnulæ ad ipsam stellam ab oculo videãtur tendere: quo facto, obserua diligenter quam horam quantamq; partem eius linea media interioris annuli indicet, quod quidem absq; lumine commodè non feceris. Hæc autem hora inuenta non est hora vera, quum non ipsius stellæ sed Solis officium sit horas distinguere. Necesse erit igitur per distantiã Solis à stella horam vnam colligere, quod ita fit: In interiori ambitu orbis secundi quære mensem & diem propositum, simul enim in altera eiusdem orbis superficie horas videbis, quas subducito ex horis prius inuentis, restabit hora vera. Quòd si horæ per stellam inuentæ, minores fuerint numero, adde ipsis. 12. horas, atq; à collecto horas apud mensis diem inuentas subducito, residuum horam veram indicabit. Exempli gratia. Demus vigesimaprima Decemb. stellam nobis indicasse horam primam, quia apud diem. 21. Decembris inuenio horas duas, non possum eas ab vna subducere, quare addo. 12. fiunt. 13. hinc aufero. 2. restant. 11. quæ veram indicant noctis horam. Fecimus etiã annulos cũ pinnulis mobilibus, per quos ex omnibus ferè stellis licet horas cognoscere cognita declinatione ipsarum, & distantia à Sole in gradibus æquatoris, sed hanc rationem in aliud tempus seruo.

Qua

CAPVT VII.

Qua ratione horæ nocturnæ facilius inueniantur.

NOcte serena suspẽde ex manu annulum facie versa in Septentrionem, & distentis omnibus orbibus annuli, verte meridianũ ipsius annuli ad stellam polarem, ita vt duo poli ipsius annuli quàm possunt rectissimè ab oculo in stellam polarem vergant. Deinde circumduc pedetentim orbem interiorem versus duas stellas anteriores vrsæ maioris, quæ secundum vulgi appellationem sunt rotæ postremæ Plaustri. Iam verò consydera, quotam horam hic orbis interior indicet, ab horis inuentis subduc (vt in cap. præcedenti) horas inuentas circa mensis diem in circulo æquinoctiali, numero horarũ hic relicto adiicias aut adimas. 6. horas, ita tibi vera prodibit hora noctis. Hac via facilius hora inuenitur, verum illa præcedenti paulò certius.

CAPVT VIII.

De *ortu Solis & quantitate diei.*

COllocata pinnula quæ inter rimulã mouetur ad mensem eiusq; diem, quo hæc perdiscere animus est, vel secundum doctrinam tertii capitis, circumage interiorẽ orbem eousq; donec latus illud quod pinnulam eam defert, sit in latere æquatoris collocatum occidentali siue pomeridiano. Deinde supputatis hinc inde ab eleuatione poli siue latitudine regionis

gionis nonagenis partibus in meridiano circulo, aut supputata eadem latitud. ab vtroque polorum versus æquatorem, alliga filum ex oppositis per medium annulum partibus. Deinde altero oculo cõpresso, circumage interiorem annulum, donec simul aspicias pinnulam in linea quam filum extentum per medium annulum describit, & per medios sulcos qui in horis sextis oppositis facti sunt, oculi acies transeat. Nam in tali situ linea media annuli interioris horam indicabit qua sol oritur, quam si ex. 12. subduxeris, restabit hora occasus. Hanc autem duplica, emerget quantitas diei propositi. Hæc res sine demõstratione ad oculum vix intelligi potest. At si annulus interior pinnulas habuerit mobiles, alia via ac faciliori licebit idem præstare sine filo. Clauso ergo annulo & pinnulis ad medium æquatorem locatis, filoq; in polo ligato, & ex manu dependẽte, aspice per vtranq; pinnulam locũ aliquẽ aut signũ longè à te remotũ, quod horizõtis vice fungetur. Deinde positis pinnulis ex. 3. cap. ad signũ et mensem, collocetur pinnula superior in æstate, inferior in hyeme ad horas ante meridiẽ. Deinde pendẽte annulo per filum ex latitudine tua, circumage interiorem annulũ donec oculus per vtranq; pinnulã visu transeat ad punctum siue signũ anteà loco horizontis notatũ, videbis enim vt antè horã ortus solis. Reliqua non variantur.

CAPVT

CAPVT IX.

De *horis inæqualibus siue Planetarum.*

DIem Astronomi duplicem assignāt, Naturalem viginti & quatuor constātem horis, semper ferè æqualem. Artificialem duodenis complexum horis. At hic quum ab ortu Solis ad eiusdem occasum sumatur, illudq; interstitium in omnibus regionibus ab orbe medio declinātibus diuersum sit & inæquale, necesse est horas huiusmodi, quæ diem hunc in 12. æquas partes diuidunt, inæquales esse sæpius. Nam quū dies noctem excedit, necesse est horas diei eadem ratione horas noctis superare. Inuenturus ergo quota sit hora diei inæqualis, primò quære quantitatem diei per præmissam, inuentā diuide in. 12. partes æquas, nam ita tibi quantitas vnius horæ inæqualis producetur, qua comperta vide quot sint horæ æquales elapsæ ab ortu Solis ad tempus propositū, tempus illud diuide per quantitatē vnius horæ inæqualis, exibit demum hora inæqualis temporis præfiniti. Eodē modo per noctem agitur, subducta enim quantitate diei ex. 24. horis, relinquitur quantitas noctis, quod tempus rursus partire in. 12. æquas: habebis eo modo quantitatem vnius horæ inæqualis. Vel habita hora inæquali diei, aufer eam ex duarum horarum æqualiū quantitate, & restabit quantitas horæ inæqualis nocturnæ. Demum diuide tempus elapsum ab occasu Solis per eam quan-

quantitatem horæ, exibit hora quæsita. In his autem partitionibus vtile fuerit horas quantitatis diei ad minu. reducere, quod quomodo fiat, etiam cuiuis notum est. His autem singulis horis singulum attribuebāt veteres dominatorem ex planetis septē, atq; hinc orta sunt nomina dierū apud ethnicos instituta. Si enim à Luna inceperis in die Lunæ, & cuique planetarum vnā ex. 24. horis dederis, tum. 25. quæ est prima sequentis diei accidet Marti. Hinc fit, vt dierum nomina sint interrupta: nō enim post Lunæ diem sequitur Saturni, sed Martis. Post hunc non Solis neq; Veneris, sed Mercurii dies, atque ita deinceps. Facile igitur fuerit cuiuis habita hora inæquali, eius dominatorē reperire. Prima enim hora semper cedit planetæ à quo dies nomen habet. Deinde per ordinem inceditur planetarum à superioribus ad inferiores: ab his rursus redeundo ad illos donec completæ sint. 24. horæ.

CAPVT DECIMVM.

Quota sit hora ab ortu uel occasu Solis, qui mos Italiæ ferè est.

QVibusdam regionibus mos est, ab ortu Solis in sequentem ortum horas supputare, nonnullis ab occasu, vtrunque facili negotio habebitur. Si igitur libet indagare quota sit hora ab ortu Solis, quære per præcedens Cap. quota hora sol oriatur pro nostra consuetudine. Secūdò vide quota sit etiam hora pro

more nostro, quæ si fuerit ante meridiem, subduc ex illis horas ortus Solis: sin post meridiē fuerit, adde horas occasus Solis, emergent horæ elapsæ ab ortu Solis. Vt si Sol oriatur ad nostram consuetudinē hora. 5. index verò indicet horam. 10. & quadrantem, subduc hinc horas. 5. restant. 5. cum quadrante, horæ ab ortu solis elapsæ. Hinc legimus apud Persiū, quinta cum linea tangitur vmbra. Simili ratione si placet horas ab occasu transactas arte inuestigare. Primum quære horam occasus secundū vsum nobis familiarem, deinde pro eodē vsu quota sit hora, quæ si rursus fuerit ante mediam noctem, aufer hinc horam occasus: si post mediam noctem, adde horam ortus Solis, votis potieris. Vt demus, Solem nostro more occidere hora. 7. sitque iam hora. 10. cum semisse ante mediam noctem, aufer. 7, ex. 10. restant. 3. cum semisse horæ, quas ab occasu sol cōfecit. At si horā primā post noctē mediā Index significauerit, adde horas ortus quæ sunt. 5. fient itaq; horæ. 6. Quibusdā etiā mos est. 24. horas numerare, ii si ab occasu initiū fecerint, fueritque tēpus pomeridianū, horas ab Indice notatas adiiciāt cū horis ortus, quibus deinceps. 12 cōiungāt. Sin ab ortu cęperint, ii ad horas post mediā noctē elapsas adiiciāt &. 12. horas, et horas occasus Solis, ita tandē colligetur verū ab ortu elapsum tēpus. Qui verò. 12. tantū numerant, ii quicquid vltra. 12. excreuerit, abiiciāt.

CAPVT XI.

Plagas mundi quomodo inuenias.

QVouis tempore quum annuli officio horam inuestigas, siue id interdiu accidat, siue noctu, annulum ex manu dependentem etiam ad Solem aut stellam directum, intrepidum seruato & fixum. Orbis enim extremus statim Austrum & Septentrionem indicat. Septentrionem quidem ad eam partem ad quam à filo declinat polus annuli, Austrum ad oppositam, Orientem, occidentem, & reliquas deinceps, quiuis, nisi plane rudis fuerit, facile his duabus habitis inueniet. Oriens enim & Occidēs, quorum præcipua etiam cura est, per horam sextam secundi orbis denotantur. Venti autem septentrionales frigidissimi sunt, & nonnunquam sicci, nonnunquam humidi, hominibus quidem satis conuenientes, sanguineis & iuuenibus, quum eorum conseruant naturam: verum frigus si homini insit à natura etiam augent. Orientales sicci sunt, interdum calidi, interdum frigidi. Australes calidi sunt, maxima ex parte humidi, interim sicci, corrumpentes aërem, fulminosi, ac insalubres. Occidentales humidi ferè sunt, partimq; frigidi, partim calidi. de quibus apud Vitruuium elegantiss.

VSVS ANNVLI

CAPVT XII.

De *altitudine Solis & Stellarum.*

ALtitudo Solis dicitur (nõ vt vulgus iudicat, quantum ſcilicet à terræ centro diſtat) ſed quot gradibus ſupra Finitorem eleuetur ſol, vel ſtella verſus noſtrum verticem. Idq; ita facile inuenitur. Complicatum annulum filo quouis ſuſpende, ita, vt filum in gradibus nonaginta qui inſcripti ſunt annulo interiori ſurſum & deorſum paulatim moueri poſſit. Hoc eouſq; faciendum, donec vmbra ſolis ab vna pinnularum in aliam proiiciatur, tum enim filum inter gradus altitudinem Solis oſtendet. Noctu per viſum neceſſe erit facere, quum ſtellæ vmbras non proiiciunt. Si quis igitur decimo die Martii aut decimatertia Septembris altitudinẽ Solis in meridie obſeruatam ex nonagenis gradibus ſubduxerit, inueniet latitudinem regionis. At quoniam hanc ſuperius ad omnem non ſolum diem, verum etiam horã inuenire docuerimus, impræſentiarum hanc viam cõſultò prætermittimus. Mobiles autem pinnulæ ante omnia promoueantur ad æquatorem medium, id quod in ſequentibus perpetuum eſt.

CAPVT



CAPVT XIII.

Altitudinum dimensio per umbras.

IN interiori annulo circa alterum polorum 12. hincinde inscripsimus partes inæquales, quæ dimensionibus inseruient. Lucente igitur Sole, si per vmbras placet dimetiri altitudines rerum, Complicatum annulum ex manu suspendito per filum quod per partes scalæ (sic enim vocamus eas) sursum deorsumve moueri possit, & latere annuli obiecto Soli, eleua eum annulum eousque quò vmbra pinnulæ superiori proiiciatur in pinnulam inferiorem, & simul nota diligenter in quam partem tum

incidat filum quod annulum detinet. Si enim in.12.parte id fuerit, tum vmbræ omnium rerum æquales sunt suis rebus. Quare si cuipiam nota fuerit altera, facilè in notitiã alterius deueniet, quandoquidem æquales sunt. At si filum deprehensum fuerit inter partes propiores pinnulæ, quæ vmbræ rectæ dicuntur, tum semper res quæuis erecta superat vmbram suam, atq; idipsum ea ratione qua.12.excedunt partes in quibus fuerit filum. Si ergo in prima fuerit parte, vmbram duodecies accipito. In secunda sexies. In tertia quater. In quarta ter. In quinta bis, & insuper duas quintas partes vmbræ. In sexta bis. In septima semel, & quinque septimas vmbræ partes. In octaua semel & dimidiam. In nona semel, & tertiam vmbrę partem. In decima semel & quintam vmbræ partem. In vndecima tandẽ accipias vmbram semel & vnam eius vndecimam partem. Aut breuibus, si Arithmeticus fueris, multiplica vmbræ longitu. per.12 productum partire per partes in quibus filũ deprehendisti, prodibit semper altitudo ipsius rei. Verũ si inter partes remotiores, quas vmbræ versæ partes vocamus (quæ sunt scilicet vltra polum) deprehensum fuerit filum, tum vmbræ semper maiores sunt suis rebus, idq; rursum eo excessu qui est.12.ad partes notatas per filum. Hic ergo multiplica vmbrarum longitud. per partes à filo notatas. Hinc productũ diuide per.12 prodibit altitud.

rei

rei metiendæ. Vt si filum notauerit. 7. partes vmbræ rectæ, vmbra autem fuerit. 120. pedum. Duc. 12. in. 210. exeunt. 2520. quæ partire per. 7. fiunt. 360. ea est altitudo rei cuius vmbra. 210. pedes obtinuit.



CAPVT XIIII.

De *altitudine per solum uisum.*

EOdē modo, quo de vmbra diximus, licet etiā solo visu procedere. Suspenso enim annulo per filum in parte duodecima scalæ, si eousq; aut accesseris aut recesseris, donec fastigiū rei metiēdę ad vtrāq; pinnulā appareat.

Tum si distantiam tuam dimensus fueris à re metienda, simul habebis altitudinem ipsius, ab oculo tuo sursum. At si quocunque loco constiteris, placeat dimetiri altitudinē rei. Suspenso annulo, liga filum susq; deq; per partes scalæ, donec ad vtranque pinnulam appareat rei cacumen: Notaq; diligenter in quam partem scalæ incidat filum, Quæ si fuerit vmbræ rectæ (vocamus autem vmbram rectam, omnes partes à pinnula vsq; ad. 12. reliquas vmbram versam) multiplica tum distantiam per. 12. procreatum deinde numerum diuide per partes à filo notatas, redit rei vera altitudo ab oculo sursum. Si fuerint partes vmbræ versæ, econtrà multiplica distantiam per partes notatas à filo, prouenientem hinc diuide per. 12. habebis rursus altitud. rei metiendæ quæsitā. Huic semper addenda erit altitudo oculi deorsum.

Verbi gratia: Notauerit filum. 8. partes vmbræ versæ, sitque distantia. 60. pedum, eam in 8. ducito, fiunt. 480. quam si per. 12. partitus fueris, exibit altitudo rei mensuratæ supra tuum oculum. 40. pedum.

CAPVT



CAPVT XV.

De altitudinibus rerum inacceßibilium.

ACcidit autem vt plurimum, vt diſtantia propter aliquod impedimẽtum ita promptè haberi non poſſit, quare aliter dimetiri cogimur. Atque hic in primis neceſſarium eſt, reducere partes vmbræ verſæ ad partes vmbræ rectæ, quod ita fit: Multiplica in ſe. 12. fiunt. 144. quæ diuide per quaſuis partes vmbræ verſæ, fient eo modo tãquam partes vmbræ rectæ. Iam verò accepturus altitudinem alicuius rei, conſiſte in plano, & ſuſpẽſo annulo filum alligato ſuſq; deq; donec pinnulis

respondeat vertex rei metiendæ, atque partes à filo notatas scribito, locumq; stationis signato. Deinde aut accedito aut retrocedito pro loci commoditate quantum placet, recta tamen via ad rem metiendam. Et rursus vt prius per annulum aspicito. Tum si alicubi fuerint notatæ partes vmbræ versæ, eas ad rectam reducito viam quam diximus. Metire etiam distantiam inter duo loca stationum. Subducantur ergo partes minores à maioribus, residuũ pro diuisore seruato. Demum multiplicato distantiam per. 12. productum per diuisorem seruatũ diuidito: quod ex eiusmodi diuisione proueniet, altitudinẽ rei metiendæ proculdubio manifestabit ab oculo sursum. Vt fingamus filũ in prima constitutione notasse. 8. partes vmbræ rectæ, in secunda. 9. partes vmbræ versæ, quæ valent. 16. partes vmbræ rectæ, sitq; distantia inter duo loca stationum. 120. pedum, Subduco. 8. ex. 16. restant. 8. deinde duco. 12. in. 120. fiunt. 1440. hunc numerum partior per. 8. fiũt 180. quæ est altitudo rei metiendæ.

CAPVT XVI.

Facilius idem.

SEd ne ignari etiam Arithmetices hoc vsu omnino frustrentur, ii quærant duas stationes accedendo aut recedendo, ita vt vna statione filum sit in. 12. altera in. 6. vmbrę rectæ, tũ enim si duplaueris distantiam duarum stationum

num

num,emerget altitudo rei metiendæ. Aut vna in.12.alia in.8.vmbræ rectæ,tum distantiam tripla. Aut vna in.12.altera in.9. vmbræ rectæ, quadrupla interstitium. Item si vna statione habueris.12.altera.8.vmbræ versæ,tu dupla interstitium.Si vna.12. altera.6. vmbrę versæ, tũ spatium inter duas stationes est ęquale rei metiẽdæ.Idem accidit si in vna statione filum.6. vmbræ rectæ,altera.8.vmbræ versæ notauerit. Vel si vna fuerit.6.vmbrę versæ,altera.4.eiusdem.Vel.4.&.3.eiusdẽ. In his enim interstitia sunt æqualia rebus mensurandis.

CAPVT XVII.

De *longitudine rerum in ædito sitarum.*

SI quis rerum sursum eleuatarum, vt fenestrarum,statuarum,turrium,aut ædificiorum in monte positorum, aut turrium sacris ædibus superpositarum, longitudines perdiscere velit,Is poterit primò per viam prędscriptam altitudinem cacuminis dimetiri, deinde altitudinem basis, siue infimæ partis, subducta deinde altitudine minori ex altitudine maiori,restabit longitudo ipsius rei mensuratæ. Vt si altitudo cacuminis fuerit. 300. pedum, imæ verò partis.200.pedum,relinquitur longitudo.100.pedum.



CAPVT XVIII.

Aliter idem & facillimè.

ALligato filo in duodecima parte ſcalæ Geometricæ, accede aut retrocede donec ambæ pinnulæ faſtigio accuratiſſimè reſpondeant, ſignato deinceps loco ſtationis accede verſus rem metiendam, donec rurſus eædem pinnulæ baſi ſiue infimę parti reſpondeant. Quantum igitur eſt ſpatium ab hoc loco ſtationis ad priorem, tanta eſt longitudo rei menſuratæ.

CAPVT XIX.

Distantiæ dimesino.

QVemadmodum autē in altitudinibus omnino opus est aliqua cognitione distantiæ, ita é diuerso in distantiarum dimensionibus cognitio altitudinis necessaria est. Qua præcognita (oportet enim ex eleuatiori loco distantias metiri) Annulum ita suspendito ex manu, vt pinnula inferior termino distātiæ, superior oculo tuo respondeat. Quo facto, eleuationem oculi tui supra terminum visum duodecies multiplicato, summam per partes à filo notatas diuidito. Vltimus hic numerus distantiam rei ostendet. Qui exactiorem distantiæ dimetiendæ rationem velit, is libellū nostrum de Regionum & Locorum descriptionibus consulat. Ibi enim absque aliquo instrumento longissimas etiam distantias dimetiri docemus.

CAPVT XX.

De profunditatis mensuratione.

ALtitudinis & profunditatis eadem ferè ratio est, nam vt ibi per rationem distātiæ colligitur altitudo, ita etiam hic. Oportet enim ex alto despiciente distantiam puncti quem aspicit per pinnulas annuli præscire, atque eam nulla alia ratione quàm dictum est de altitudinibus, aut per. 12. aut per partes notatas à filo multiplicare, & per alterutrum diuidere pro vmbrę ratione quā filū occupat.

TABEL.

TABELLA LATITV-
DINIS OPPIDORVM ALIQVOT insigniorum.

¶ Hiſpaniæ ciuitates.

Compoſtella 44.20
Toletum 40
Liſibona 39. 38
Portogalla 41.35
Corduba 38.fere
Hiſpalis 37
Salmantica 40.15
Cæſarauguſta 41
Barſalona 41. 35.

¶ Galliæ ciuitates.

Burdigalæ 46.
Rodes 45. 15
Nantes 48.12
Aurelia 47.13
Turonia 47.30
Rothomagus 49.
Bizantium 47.16
Lugdunum 45.10
Vienna 44.48
Lutetia 47.55
Geneuora 45.58
Maſſilia 43.6
Mons peſſulanus 43.8
Toloſa 43.30

¶ Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ.

Antuerpia 51.28
Louanium 51
Mechlinia 51.12
Bruxella 51.
Gandauum 51.24
Brugis 51.50
Cales 51. 44
Valencines 50.10
Mittelburgum 51.50
Traiectum 52.30
Amſtelredama 52.40
Groninga 53.16
Suollis 52.47
Geldria 51.42
Cleuia 52.
Iuliacum 51.5
Aquiſgranum .51.5
Leodium 50.51
Dauentria 52.30

¶ Germaniæ magnæ ciuitates.

Colonia 51.
Moguntia 50.8
Argentina 48.45
Baſilea 47.40
Conſtantia 47.30
Erfordia 51.10
Ingolſtadium 49
Nurenberga 49.24
Ratisbona 49.10
Vlma 47.22
Auguſta 48.15
Praga 50.4
Buda 46
Segina 44.45
Vienna Auſtriæ 48
Saltzeburgum 48.
Iudeburgum 47
Villachum 46 25
Brixia 46. 0.

Sarma-

¶ Sarmatiæ.

Dantiscum 55
Mons regius 54.17
Vratislauia 51
Cracouia 51
Caschouia 50
Riga 61
Reualia 66
Nouogardia 64
Moscouia 59

¶ Cimbricæ Chersonesi, Noruegiæ, Suetiæ.

Dania 57
Lubecum 54.48
Brunsuick 53
Luneburgum 54
Arhusia 57.ferè.
Rypis 56.45
Lundis 57.20
Nodrosia 60.50
Lincopia 61
Coppenhagna 56.20

¶ Angliæ, Scotiæ.

Medium insulæ 54.30
Londonium vel Londra 52.30
Etenburgum sco. 57
Efaguensis 57.30
Hybernia 57
Islandia 60

¶ Italiæ Ciuitates.

Mantua 44.28
Cremona 44.42
Venetiæ 44.50
Ancona 43.42
Roma 41.50
Brundusium 39.40
Neapolis 41
Florentia 43.5
Mediolanum 44.30
Genua 43.50
Taurinum 43

¶ Græciæ.

Chilia 45.45
Andrianopolis 42.45
Stridona 44.30
Dirachium 44.55
Constantinopolis 43
Corinthus 36.55
Corona 35

¶ Aphricæ

Tingis 35
Fessa 34.40
Alexandria 31
Chayrum 30.15
Mosylium 9.

¶ Asiæ ciuitates.

Nicomedia 42.30
Cæsarea 41.40
Ephesus 37.40
Antiochia 37.20
Hierosolyma 31.40
Mecha 22.
Callicutium 7
Hispaniola 20

¶ Moluccæ insulæ nullam habent latitudinem, quos sunt sub æquatore.

FINIS.

DIDACI PYRRHI
LVSITANI CARMEN.

Liber loquitur.

GEmma mihi est autor, quis nescit noïa Gẽmæ?
Quantus is ingenio, quantus & arte ualet?
Vt sit Gemma nitens gemma præstantior omni,
Vt sit Erythræis unio natus aquis,
Præstiterat non plura loqui, deincepsq; silere,
Nam satis authoris dicere nomen erat.
Si tamen ô prudens Lector, tibi dicere plura
Est opus, & mecum commoda quanta feram?
Inspicias titulum moneo, non uanus amores,
Nec doceo aligeri tela, facesq; dei.
Sed uarios demonstro locos, licet orbe remotos,
Et quantum distent ordine quique suo.
Exposui nonnulla quidem, sed plura supersunt,
Dicere quæ breuitas temporis ipsa uetat.
Quis tantas contemnet opes? quis munera tanta
Spernet? & in paruo commoda tanta libro?
Linque leues nugas, & inanes desere chartas,
Illa sibi Scombri thuraq; sacra petant.
Tempus abit, uolat hora fugax, sic labitur ætas
Labitur ut rapida feruidus amnis aqua.
Qui sapit, ille bonos oculis animoq; libellos.
Perlegit: & quisquis desipit, ille malos.
Ergo bonos inquire libros, hos perlege, nugas
Linque, bonis horis ut potiare tuis.

FINIS.

UB WIEN
+AM230447701

TRAPEZONTIUS

UB WIEN
+AM230447609

FRISIUS